P. SCRIVERII
ANIMADVERISONES
IN
MARTIALEM.

Opus iuvenile, & nunc primùm ex intervallo quindecim annorum repetitum.

Coll. Rom. Soc. Jesu
Cat. Inscript.
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LVGDVNI BATAVORVM,
APVD IOANNEM MAIRE,
Anno cIↃ. IↃC. XVIII.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialem.

AD LIBRVM SPECTACVLORVM.

LIBELLVM de Spectaculis, qui extra ordinem reliquorum in limine Martialis hactenus legi ſolet, deſtinaverā initiò, quum operi manum mentemque admoverem, in calcem ultimam reiicere, poſt ipſa adeo Apophoreta: quòd iudicarem, Martialis fœtum non eſſe. Et Hercules, non ſine gravi cauſſā ambigebam. Quædam Martiale antiquiora, quædā recentiora, ſpuria denique nonnulla deprehendebā admixta Spectaculis Flavianis. Ita ut auctoris unius eſſe negarem, imò pernegarem. Statuens hæc eſſe non Poëtæ Iberi omnia, ſed hybridæ alicuius centunculos, ex Martiale & alijs conſutos: eiuſdem protſus fati cum Priapeiorum libro, qui Partheniati perperam vulgò tribuitur. Habui ex amicis, viris doctiſſimis, quibus cum eā de re olim loquutū memini, adſtipulatores non paucos. Et erant rationes multæ. Decreveram itaque, quod dixi, ea tunc loco movere, & ſub finem contextus, quem vocant, exhibere. Nunc tamen conſilium mutavi, & Amphitheatrica iſta eo ipſo, quo conſpici hactenus ſolent loco, denuo heic legi paſſus ſum: non quòd cōceptæ antiquitus ſententiæ nos pœniteret, ſed quòd à vul-

gato ordine diſcedere, ipſumque (ut ita dicam) libri caput tollere in hac Editione, religio mihi eſſet. Vtique quum hæc ſint arbitrarii, non certi iuris.

Lemmata, ſive inſcriptiones Epigrammatū, locis al. quammultis interpolavi; eiectisque nugis, ſi non vera, probabiliora ſaltim adſcripſi. Nam ne ignoret nemo, Lemmata omnia, quæ cùm in hoc libello ſingulari, tùm in duodecim libris Epigrammatum hodiè leguntur, non ſunt Auctoris, ſed è cupreſſu aut lecytho ſciolorum & ut plurimùm dormitantium librariorum. Quibus quantum fidei adhibendum ſit, vident mecum

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Sine lemmatis ea Martialis ediderat, poſſideoq; domi MSS. membranas, in quibus ea nuſquam comparēt. Critici pro libidine alius alia appoſuit; ne miremur aliquando diverſitatem lemmatum in diverſis Codicibus. At in Xeniis & Apophoretis, id eſt lib. XIII. & XIV. auctorem appoſuiſſe conſtat; tùm quia ipſe hoc indicat, tùm quia ſine illis maior pars diſtichorum gnoraretur. In Xeniorum limine ſic Lectorem affatur, & monet:

Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
Prætereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

Et in Apophoretis clarè:

Lemmata, ſi quæris, cur ſint adſcripta? docebo:
Vt, ſi malueris, lemmata ſola legas.

Abſque lemmatis foret (exempli gratia, diſtichon unum alterumque adſcribam) quis intelligat quid velit Poëta, lib. XIII. Epigr. XXX.

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flammâ, ſive domamur aquâ.

De *caſeo Trebulano* cum loqui, docet Lemmia. Et quis ille tam acutùm cernit, ut videat quæ ligna intelligat Poëta Epigr. XII.

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam (moneo) ruſtice, ligna feras.

Acapna ligna dicit & cocta, quæ fumum non faciant. Iocatur ſolens Poëta, monetque vicinum ſuū colonum, ne in foco villulæ ſuæ aliis utatur lignis, quàm ſiccatis ſole & amurcâ, coctilibusque,

quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quæ incenſa nullum exhalent fumum: ne fumi tædio ſibi moleſtus ſit, quando otiari iubet in Nomentano. Quod prædiolum ſuum pluribus locis celebrat, cuius & hîc feſtivè meminit; non oppidi Nomenti: quod interpretum vulgo viſum.

Iam quis lib. XIV. abſque ope Lemmatis, quod eſt *Rhinoceros*, aſſequitur Epigramma LII

Nuper in Auſoniâ Domini ſpectatus arenâ;
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Reſpicit rhinocerotem nobilem illum ac plus ſemel ludis Amphitheatralibus Cæſaris exhibitum; de quo Spectaculorum Epigr. IX. & XXII. Hoc genus alia compluſcula ſunt, Cimeriis tenebris obſcuriora, niſi Cynoſuræ inſtar lemmata præmittantur.

EPIGR. I.

In amphitheatrum Cæſaris.

Non eſt lemma catholicon totius libri, quod quidam putant, ſed primi Epigrammatis inſcriptio. Quare non recte Pariſienſis Magiſter, commentariũ ſuum in hunc librum inſcripſit *Notas in amphitheatrum Cæſaris*. Non recte, inquam; ne dicam, ſtultè. Quid multis? Pſeudepigraphum eſſe hunc Titulum, res ipſa evincit. Sed an Martialis hoc Epigramma dubito. Verſiculus primus,

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,

effictus videtur ex Epigr. XXXVI. lib. VIII.

Regia Pyramidum, Cæſar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.

Poſtremus,

Unum præ cunctis fama loquatur opus.

ex imitatione Catullianâ, Carm. ad Ruffum:

——— Nam te omnia ſecla
Noſcent, & qui ſis fama loquetur anus.

Vide etiam Carm. ad Manlium, & Martialem lib. XII. Epigr. IV.

Ibidem.

Nec Triviæ templo molles laudentur honores.

Quantoperè locus hic à Criticis ſit vexatus

nos minimè fugit: nec alius vllus temere magis eos exercuit. Quorum tamen ſententijs animus noſter necdum acquieſcit. Vixque adeò, Criticorum phœnicis, Ioſephi Scaligeri caſtigationem laudamus, *Iones* pro *honores* reſcribentis, & exprimentis hanc emendationem in ſuis Græcis. Quod etiam Cl. & R. V. Andreæ Schotto in mentem veniſſe audio; nec præteritum Matthæo Radero. Haud tamen id ego auſus recipere pro germano Auctoris. quamquã vulgata lectio multimodis diſplicet; nec placebit ſanè, niſi Latinè neſcientibus. Corruptum & diſtortũ eſſe locum, vel cœco apparet: MSS. exſenſa ſcriptura,

Nec Trivia templo molis gaudet * *honorum*.

Vnde quidnam ſani coloris exſculpi poſsit, non facilè video. Niſi fortaſſe quis volet, quod timidè ſuſpicor,

Nec Triviæ templi moles laudentur; honores
Diſſimuletque Deûm cornibus ara frequens.

Honores Deûm, Apollinis & Dianæ. quorum operâ percepimus in Delo

——————*innumeris ſtructam de cornibus aram.*

Auctor Callimachus in Hymno Apollinis, atque alij.

EPIGR. II.

Hic, ubi ſidereus propiùs videt aſtra coloſſus.

Sidereus coloſſus, eſt coloſſus Neronianus, iam tum depoſito Neronis, ac Solis radiato capite repoſito, inſignis, & prope Flavium Amphitheatrum conſpicuus. Dicitur ab Auctore *Sidereus*, à Sole; quem *Sidereum Deum* nominat Martialis, lib. XII. Epigr. LX.

Magnaque Siderei vidimus ora Dei.

Suetonius in Nerone, cap. XXXI. *Domum à Palatio Eſquilias uſque fecit, quam primò* Tranſitoriam, *mox incendio abſumptã reſtitutamque*, Auream *nominavit. Veſtibulum eius fuit, in quo coloſſus* CXX *pedum ſtaret ipſius effigie.* Plinius lib. XXXIV. cap. VII. memoriæ prodit, coloſſum ſeu Neronis ſimulacrum factum à Zenodoro Gallo artifice, CX. pedum longitudine, dicatum-

dicatumque venerationi Solis, damnatis ſceleribus illius Principis. Pub. Victor in Topographia Romæ Regione Vrbis I V. *Coloſſus altus pedes* CII S, *habens in capite radios* V I I, *ſingulos pedum* X V I I S. Quo in loco pro *radios* V I I. ſcribendum videtur *radios* X I I. Totidem enim antiquitus celebrata memini; quia Sol totidem ſigna Zodiaci percurrit, & ut Martianus Capella de Sole:

———— radijsque ſacratum
Bis ſenis perhibent caput aurea lumina ferre:
Quòd totidem menſes, totidem quòd conficit horas.

Et de Latino Virgilius:

———— cui tempora circùm
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

An coloſſus hic deſignatur in veteribus Actis Martyrum? in quibus legimus, *Pridie Nonas Decembris, Valeriano & Gallieno Impp. Symphronius (Sempronius) & Olympius ducti ſunt ante ſtatuam Solis iuxta Amphitheatrum, fixiſque ſtipitibus, & ligatis manibus devincti ſunt, & in ſarmentorum ſpinarumque congerie igni ſuppoſitus.* Vide Adonis Martyrologium. & illuſtrem Annalium Eccleſiaſticorum conditorem Cæſarem Baronium, Tom. I I. ſub geſtis Anni CCLIX. Vulgo hoc Amphitheatrum à vicinitate coloſſi, *Coliſſeo* vel *Coloſſeo* appellatur. Quod nomen non hodie aut heri natum: ſanè perquam vetus eſſe Anaſtaſii Bibliothecarii teſtimonio liquet, eius qui circa Annum Chriſti DCCCLXV Vitas Pontificum ſcripſit. In Stephano IV. PP. hæc eius ſunt verba: *Poſtmodum verò quidam iniqui Campani, qui Romam advenerant, adhortati ab alijs nequioribus ſe & impijſſimis, Gracilem Tribunum ex ipſa cuſtodia auferentes, & deportantes quaſi in monaſterium, dum ad* C O L O S S E V M *adveniſſent,* (puto locum ſupplicii fuiſſe, & fortè aliter P E T R A M S C E L E R A T A M nuncupatam. cuius frequens mentio in tabulis Eccleſiaſticis) *illic eius oculos eruerunt, & linguam abſtulerunt.*

EPIGR. IV.

Tradita Getulis, nec cepit arena nocentes.

Veriſſima hæc lectiò; aſſerta magno Scaligero in ſuâ σκιαμαχίᾳ in Grammaticum Pariſienſem, contra impoſturas audaciſſimi ac maligniſſimi Georgii Merulæ. Aliorū divinationes flocci facio. Nam Lipſianum, *Traducta eſt titulis*, non eſt Latinum; non magis, quàm veterum correctorum lectio. *Traducta eſt Gyaris*, & recentiorum, *Traducta eſt betulis*, aut *Traducta eſt Thulen.* quod quid ſit, neſcio. Pro lectione à nobis expreſſâ ſtant omnes meliores ſcripti Codices, & priores editiones. Mens hæc eſt: Traditi ſunt delatores Getulis, ut eos ipſi ſuis leonibus laniandos obiicerent: & quum Arena non omnes caperet, pulſi ſunt quidam in exilium. Legendus Dio, & Suetonius in Tito.

Aliud eiuſdem argumenti.

Exulat Auſoniâ &c. Epigramma hactenus indivulſum, ita primi Scaligero auctore diſtinximus à ſuperiore tetraſticho.

EPIGR. V.

Iunctam Paſiphaën Dictaeo credite tauro:
Vidimus. accepit fabula priſca fidem.

Spectaculū præſide Domitiano exhibitum volunt Domitius Calderinus, Marcilius, & Ramirezius de Prado. Atqui inter Neronianos ludos recenſet Suetonius, cap. XII *Exhibuit Pyrrhicas quaſdam è numero ephebórum, quibus poſt editam operam diplomata Civitatis Romanæ ſingulis obtulit. Inter Pyrrhicarum argumenta, taurus Paſiphaën ligneo iuvencæ ſimulacro abditam iniit, ut multi ſpectantium crediderint.*

EPIGR. VI.

Belliger invictis quòd Mars tibi ſævit armis,
Non ſatis eſt, Cæſar: ſævit & ipſa Venus.

Epigramma hoc in duo ſecandum nō vanè fortaſſis hariolamur. Sic ſanè uti poſui, primum claudi

claudi poteſt, nec acumine ſuo deſtituetur. Alterum ex emendatione noſtrâ ſic excudendum erat:

Proſtratum Nemea ſed vaſtâ mole, leonem,
Nobile, & Herculeum fama canebat opus.
Priſca fides taceat: nam (poſt tua munera) Cæſar,
Hac iam fœmineâ vidimus acta manu.

Epigramma *Belliger*, &c. innuit non ſolùm viros, verùm etiam fœminas in arenam & ludos gladiatorios deſcendiſſe armatas. Sub Nerone id accidiſſe, teſtis Annali XV. Tacitus: *Spectacula gladiatorum idem annus* (A.V.C. DCCCXVI.) *habuit, pari magnificentiâ ac priora: Sed feminarum illuſtrium ſenatorumque plures per arenam fœdati ſunt.* De Domitiano Tranquillus cap. IV. *Venationes gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modò pugnas, ſed & feminarum.* Et Statius de iiſdem Domitiani ludis, Silvar. lib. I. Eclogâ ult.

Stat ſexus rudis inſciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles, &c.

In eadem narratione cum Suetonio, Papinioque, Xiphilinus in Domitiano conſentit : Πολλάκις δὲ τὰς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάννους, (ſequor hîc manum medicam Theodori Marcilii, nam vulgò ineptè ac ridiculè νέωτας) καὶ γυναῖκας συνέβαλλε : *Sæpiùs nocte pugnas exhibuit: ac interdum nanos & pumilos, interdum feminas inter ſe commiſit.* Pumilorum quoque commiſsiones eadem Eclogâ celebrat Statius. Sed cum Tacito in rebus Neronis conſpirat Dio. Ita ut ambigam, utri Cæſarum hi ludi ſint tribuendi: quamquam malim Domitiano, qui non modò feminas gladiatrices inter ſe commiſit, ſed & cum feris etiam venatrices (ut videtur) iuſsit pugnare. Nam venationem hanc mulierum notat Iuvenalis Sat. I. *cùm Mævia Tuſcum*

Figat aprum, & nudâ teneat venabula mammâ.

Huc & ire videtur Suetonius; certè noſtrũ epigrãma *Proſtratum Nemea*, &c. confectum à venatrice femina leonem, evidentiſsimè probat. & fortè *Cæſar* ille eſt Domitianus. An Titus? Dio quippe in Tito: καὶ γυναῖκες συγκατειργάσαντο θηρία.

Epigramma *Proſtratum Nemea.* Scripſimus autem,

Nemeæ, ſed vaſtâ mole, leonem.

quum legatur paſſim

Proſtratum Nemees, & vaſtâ in valle leonem.

Quæ lectio Marcilium, & Criticorum nationẽ reliquã, mira vaticinari adegit. quibus recitandis tempus non perdam. Pergamus.

EPIGR. VII.

Qualiter in Scythicâ religatus rupe Prometheus

Aſſiduam nimio pectore pavit avem:

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo, &c.

Verſu ſecundo inepte inculcatum ac repetitum ex tertiô τὸ *pectore.* Non dubitabis mecum reponere,

Aſſiduam vivo viſcere pavit avem:

in qua lectione plus roboris eſt, quàm aut in vulgata, aut etiam Scaligerana. *Vivo viſcere*, ſemper renaſcenti, fœcundo, immortali. Eleganter ſanè *vivum viſcus* vocat pectus & iecur Promethei; cui, ut etiam Tityo, Poëtæ immortalitatem quandam viſcerum tribuunt. De Prometheo divinus Scriptor Medeæ, Act. IV.

——— *cœli qui furta luit*

Viſcere fœto ———

Virgilius VI. Æneid. de Tityo:

——— *roſtroque immanis voltur obunco*

Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis

Viſcera: nec fibris requies datur ulla renatis.

Ibidem.

Tertius verſiculus in uno membranaceo Codice, itemque in altero chartaceo, ad hunc modũ legitur,

Nuda Caledonius ſic pectora præbuit urſus.

Ita ut Auctor forte voluerit,

Nuda Caledoniis ſic pectora præbuit urſis.

Vt innuat noxium quempiam, Laureoli nomine, ad ſtipitem ſurrectum fixumque, non uni urſo, ſed pluribus obiectum atq; expoſitum, ex more. Quod vero certe ſimilius videtur.

Ibidem.

Denique ſupplicium dederat necis ille paternæ, &c.

Hic & ſequentes tres verſiculi vapulant meritô, & quidem

quidem me favente, apud optimum clariſſimumq; v. Ianum Gruterum noſtrum, improbante ac prohibente tamen Illuſtri Scaligero. Cuius pace dicam, non recentis eſſe ſolum auctoris (Panormitani, neſcio, an alius) ſed inepti, & qui thermas Neronianas refrigerare poſſit. Totum autem Epigramma ſic concipiendum:

Qualiter in Scythicâ religatus rupe Prometheus
Aſſiduam vivo viſcere pavit avem:
Nuda Caledonio ſic peſſ ora praebuit urſo,
Non falſâ pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris ſtillantibus artus,
Inque omni nuſquam corpore corpus erat.
Vicerat antiqua ſceleratus crimina famae,
In quo, quae fuerat fabula, poena fuit.

Vides epigrāma numeris ſuis abſolutum, exactum, rotundum, elegans: nec quidquam prorſus hiare, quod magno Cenſori videbatur.

Ibidem.

Vicerat antiqua ſceleratus crimina fama.
M.S. Cod. S. Marionis, quo uſu Stephanus Claverius, *nomina fama*. Non damno.

EPIGR. IX.

Qua non promiſti, praelia Rhinoceros.
Scaligeri emendationem nō admittere, religio fuit. Vulgò, *Qua non promiſit*. Nugæ. Vide Herois Diatriben Criticam.

EPIGR. XI.

Splendida iam tecto ceſſent venabula ferro.
Hæc germana Poëtæ lectio; & ridiculi ſunt, qui aut *ſecto*, aut *terſo*, aut *terto* denique cōminiſcuntur. quæ omnia futilia ſunt, & Siculis gerris inaniora. Codices noſtri non variāt: nec etiā audiendi, ſi aberrent ab hac ſcriptura, quam & retinet ac defendit in σκιαμαχίᾳ ſua Scaliger. Spicula domi recondita; ſunt tecto ferro: ut ipſa ſunt corytis ſuis tecta & recondita. Mirum eſt, etiam doctos

viros

viros heic obhæreſcere. Certè, mora non erat tanti. Nam aperta ſententia eſt.

EPIGR. XIII.

Iſta gravi telo, confoſſaque vulnere, mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.

Interpungendum fortè,

Iſta gravi telo, confoſſaque, vulnere mater.

Sic ſequenti Epigrammate, de eadem ſue prægnante, & quæ ex vulnere peperit:

Emiſit fetum, vulnere facta parens.

EPIGR. XIV.

Sus fera iam gravior, maturi pignora ventris
Emiſit fetum, &c.

Quid ſi?

Sus fera iam gravior maturi pignore ventris.

EPIGR. XV.

Primus in Arctoi qui fuit axe poli.

A Scaligero lectio eſt, *axe* pro *arce.*

EPIGR. XVI.

Cæſaris atque Iovis confer nunc ſtemma, iuventus.

Nondum ſatisfacit quod obſervavit de voce *ſtemmatis* in σκιαμαχία Scaliger. Ipſum vide. Mihi aliquando in mentem venit, legendum:

Cæſaris atque Iovis confer nunc Roma iuvencos.

quam coniecturam meam, expenſis Codd. varietatibus, *ſcema, ſcoma, ſtema, ſtoma*. aliiſque ſimilibus, velim ad obruſſam ſanioris iudicii exigi, ac penſitatius examinari. Ampliſſimus & amœniſſimi ingenii vir, Ianus Rutgerſus noſter, divinabat,

Cæſaris atque Iovis confer nunc, Stella, iuvenos.

Et cenſet epigramma hoc ad Arruntium Stellam, poëtam clariſſimum, ſcriptum; ad quem & alia nonnulla eiuſdem generis Martialis extant; Libro præſertim Epigrammatum priore.

Iuvencos ἀντὶ τοῦ *iuventus*, ne quis laude ſuâ fraudetur, Nobiliſſimi & eruditiſſimi Douſæ patris

ſæ patris correctio eſt; qui & *ſchema* legebat: P. Colvio, aliiſque *ſcamma* placet.

Ibidem.

Par onus ut tulerint, altius iſte tulit.

Figura Συγχώρησις. εἶεν. concedamus tuliſſe par onus Iovis atque Cæſaris iuvencos; Cæſaris tamen altiùs tulit. quum Iovis iuvencus in ſuperficie tantùm maris, iſte in ſublime tulit.

EPIGR. XVII.

Non facis hoc iuſſus, nulloque docente magiſtro.

Enallage. Facit hoc non iuſſus, & nullo magiſtro docente. Auctor clariùs dixiſſet,

Non iuſſus facit hoc, nulloque docente magiſtro.

Correctorum ludibria, *ulloque docente; multoque docente; pigroque docente*, indigniſſima ſunt quæ admittantur.

Ibidem.

Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

MS. —— *noſtrum ſentit & ille Deum.*

Id eſt, Cæſarem noſtrum. κολακικῶς. Non tamen temerè mutandum.

EPIGR. XIX.

Qui modò per totam flammis ſtimulatus arenam.

Hoc Epigramma eſſe μείουρον monuit Rutgerſius noſter. Ergo illud fragmentum Epigrammatis ἀκέφαλον, *Cedere maiori*, &c. quod in fine huius Libelli inter ἀποσπασμάτια legitur, ei annectendum atque huc retrahendum putabat. Hoc modo:

Qui modò per totam, flammis ſtimulatus, arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas:
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.
Cedere maiori, virtutis fama ſecunda eſt.
Illa gravis palma eſt, quam minor hoſtis habet.

Hoc facto Epigramma venuſtiſſimè claudi ratus. Sed vide infra quæ ad Fragmenta notamus.

EPIGR.

EPIGR. XX.

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphũ,
Promiſit pariter Cæſar utrâque manu.

Obſcurus locus, & qui meritò viris doctis ſcrupulum iniecit. Coniiciebam olim,

Promiſit pariter Cæſar utrâmque manum.

Myrini nempe atque Triumphi. Sed nihil mutandum. Quum ſpectatores ſtudiorum diverſitate moti, in amphitheatro hinc gladiatorem Myrinum, illinc Triumphum poſtularent; Cæſar utrumque daturum ſe utrâque manu promiſit. Vt ſatisfaceret utrique parti in poſtulatione gladiatorum, annuit parti Myrinũ poſtulãti, annuitq; unà parti Triumphũ poſtulanti; utrumque à populo poſtulatum inter ſe committens. Quæ promiſsio fiebat utraque Cæſaris manu, hinc illinc. Nam quod vir Illuſtris vult, Cæſarem pariter commiſiſſe utrumque utraque manu, id eſt pugnantẽ binis ſicis; nequeo, tamẽetſi exquiſitè diſputatum ab eo ſit, probare. *Manu promittere* quid ſit, docebo, Iſidori loco unico in medium prolato; Poëtarum & aliorum teſtimoniis in præſentiâ omiſſis. Scribit ille Originum lib. 1. cap. xxv. quod eſt de notis digitorũ: *Mos eſt militaris, ut quoties conſentiat exercitus, quia voce non poteſt, manu promittat. Alij gladiorum motu ſalutant.* Ritus, ut vides, ex Militia in Arenam tranſlatus. De quo plura fortaſſe nos alibi.

EPIGR. XXI.

Quidquid in Orpheo Rhodope ſpectaſſe theatro,
Dicitur, exhibuit Cæſar, arena tibi. &c.
Ipſe ſed ingrato iacuit laceratus ab urſo.

In amphitheatro, pegmatibus automatis in ſublime elatis, maleficus quidã, *Orpheus* nomine ei impoſito, laceratur ab urſo, ut verus Orpheus olim à Mænadibus, furentibus fœminis. Sic hoc libello *Laureolus, Daedalus, Leander*, & Epigr. xxv. lib. x. *Mutius* nimirum Scævola, noxiorum ficta nomina ſunt. Sic in Lucillii Græco Epigrammate Meniſcus quidam damnatus capitis, perſonam *Herculis* geſtans, in amphitheatro, quòd mala aurea è templo Iovis ſurripuerat, tandem vivus combuſtus eſt, ut ille

Ille verus olim in Oetâ monte. Anthologiæ lib. II. cap. XXV.

> Ἐκ τῶν Ἑσπερίδων τῶν τοῦ Διὸς ἦρε Μενίσκος,
> ὡς τὸ πρὶν Ἡρακλέης, χρύσεα μῆλα τρία.
> Καὶ τί γάρ; ὡς ἑάλω, γέγονεν μέγα πᾶσι θέαμα.
> ὡς τὸ πρὶν Ἡρακλέης, ζῶν κατακαιόμενος.

Quæ ludibundus ad hunc modum vertebam:

> *Ut poma Heſperidum Tyrinthius abſtulit olim:*
> *Sic Iovis è templo poma Meniſce rapis.*
> *Et quid Sacrilegus, magno ſpectante theatro,*
> *Alter ut Alcides, vivus in igne peris.*

Fuit autem pegmaris iſte Orpheus, de quo Noſter loquitur.

EPIGR. XXII.

Namque gravem gemino cornu ſic extulit urum, *Urum*, non *urſum* legendum, & quantum potui nobiliſſimo atque eruditiſsimo Douſæ Patri aſſentiendum putavi, ita primò corrigenti. Vrum, ſive taurum, *gravem* & metuēdum dicit *gemino cornu*. Quod obiter noto, ne in poſterum de duobus rhinocerotis cornibus fluctus in ſimpulo excitentur, & fruſtra diſputetur. Hanc Douſicam coniecturam (veram quin imò lectionem) confirmat Epigramma IX. de rhinocerote & tauro. Eadem commiſſio eſt & pugna: quem que hîc *urum*, ibi *taurum* appellat. Quod ſi penitius examinaſſent Interpretes, nunquam profectò Rhinocerota bicornem, quod monſtro ſimile eſt, in arenam produxiſſent. Dio lib. LII. ὁ δὲ ῥινόκερως τὰ μὲν ἄλλα ἐλέφαντί πῃ προσέοικε, κέρας δέ τι κατ' αὐτὴν τὴν ῥῖνα προσίσχει, καὶ διὰ τοῦτο οὕτω κέκληται. *Rhinoceros autem cætera elephanti ſimilis eſt: cornu autem ex ipſâ nare prominens habet, hincque ſuum nomen* (apud Græcos) *invenit.* Iulius Cæſ. Scaliger, Exercitation. CCV. ad Cardanum: *Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cada er è naufragio eiectū eſt in Tyrrhenum litus: capite ſuillo, tergore munitus ſcutulato, cornu gemino, altero puſillo in fronte* (imò in interſcapilio,) *altero in nare robuſtiſſimo, quo audaciſſimè pugnat, ac vincit elephantum. Ut iam deſinant nugari

gari Grammatici de gemino cornu *apud Martialem.* Hæc ille in opere divino. Videtur geminum cornu Rhinoceroti attribuere, cum Pauſaniâ lib. IX, qui animal ſtatuit *cui in ſummâ nare cornu eſt, & alterum ſuper illud non magnum.* Magni viri magna proles in *Diatribe gemino cornu* diſertiſſimis verbis ad Rhinocerotem refert. Nobis aliter videtur, & uro bellè ac convenienter aſſignamus. Cui animantium generi tam magna ſunt cornua, vt, teſtimonio Plinii, urnas binas impleant, iiſque barbari Septentrionales poculorum vice utantur. Vide Naturalem Hiſtoriam lib. XI. cap. XXXVII. Et lib. VIII. cap. XV. inquit idem auctor: *Paucisſima animalia Scythia gignit, inopiâ fruticum: pauca contermina illi Germania, inſignia boum ferorum genera, iubatos biſontes, excellentique & vi & velocitate* uros, *quibus imperitum vulgus* bubalorum *nomen imponit, cùm id gignat Africa, vituli potius cervive quadam ſimilitudine.* Vide & de *uro* Cæſarem de Bello Gallico lib. VI. Cæterùm ut abſolvam, à *cornu gemino* celebrari Rhinoceros non poteſt. Audiamus eundem Naturæ ſummum Myſtam: ut Strabonem, Oppianum, Pliniique ſimiam Solinum, alioſq; omittamus: *Pompeii* (inquit) *Magni ludis & rhinoceros, unius in nare cornu, qualis ſæpè, viſus* (Romæ) *Alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato* (meminit & huius rei lib. duodevicesimi cap. I.) *præparat ſe pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quam ſcit eſſe molliorem. Longitudo ei par, crura multò breviora, color buxeus.* Hæc Plinius lib. VIII. cap. XX. Similia de formâ Rhinocerotis, & de pugnâ cum Elephanto, prodit Ælianus De animalibus lib. XVII. cap. XLV. Nos ipſi apud fratrem Amſterodami vidimus Rhinocerotis cornu ſuperhumerale (ut ita loquar) ſivequod ei in interſcapilio ſupernè prominet, ſanè nõ valdè magnum, nec validum. Vide picturam ex Dureri deliniatione apud Geſnerum in Quadrupedum hiſtoria:

Si interpretatio Angeli Politiani, mens fuiſſet Poëtæ, ſcripſiſſet:

Ille gravem tauro cornu ſic extulit urſum.

Sed in re clarâ verborum plus ſatis.

EPIG.

EPIGR. XXIII.

Ille tulit geminos facili cervice iuvencos.

Interpretes, quos vidi, ne minimum quidem hîc intellexerunt; omniaque quæ huc congeſſêre, nihili ſunt, & ridicula. Tota Ramirezii diatribe de *facili cervice*, ineptiſſima eſt: cui iurato equidem non credo. Sequor potius maximos viros, Turnebum atque Scaligerum. Poëtæ mens eſt, Carpophorum nobilem venatorem excepiſſe & interfeciſſe duos iuvencos. *Tulit* namque, eſt *excepit*. In taurorum venatione cervicem ſuam venatores ab impetu tauri deflectẽtes eum excipiebant, prehenſisque cornibus humi affligere conabãtur. In quo opus erat, ſeſe obliquos non rectâ cervice ſtatuere, ut eluderent impetum tauri. Quod ſi peritè non fieret, interficiebantur à beſtiâ. Huiuſmodi figura Herculis, & fortè aliorum cum tauris luctantiũ, in Nummis tam Græcis quam Romanis non ſemel occurrit. *Facilem cervicem* igitur intellige venatoris Carpophori, non tauri. Ideo autem *facilem* dixit, quòd cedente cervice, non rigidâ, taurum eluderet. Quod nos incertus Poëta Anthologiæ lib. IV. cap. VIII. clarè docet, Epigrammate in Statuam Theſei cum tauro Marathonio:

Θαῦμα τέχνης ταύρου τε καὶ ἀνέρος· ὧν ὁ μὲν ἀλκὰν
 Θῆρα βίῃ βρίθει, γυῖα τιταινόμενος·
Ἶνας δ' αὐχενίους γνάμπτων, παλάμῃσιν ἔμαρψε,
 Λαιῇ μυκτῆρας, δεξιτερῇ δὲ κέρας.

Id eſt, Scaligero interprete:

Artis opus mira ſpecies taurique, virique:
Vir taurum, tendens membra labore, premit,
Inflexâ cervice, manuque obnixus utraque;
Hac nares, illâ cornua preſſa tenet. &c.

Senſum Poëtæ hunc eſſe, oſtendunt Græca Scaligeri è Martiale converſa: quæ vicem Commentarii eſſe poſsint. Hodieq; eum morẽ in uſu eſſe venatoribus in Vaſconiâ, quũ ſpectaculũ hoc exhibetur vigilia S. Iohannis in civitate Vaſatẽſi, affirmavit mihi αὐτόπτης idẽ Heros, iã ſupra laudatus. Vigere autẽ Romæ etiamnum, & in Hiſpania maximè venationes has,

nimi-

nemini paulò humaniori ignotum eſt: diſſeruitque de iis magni nominis Hiſpanus Ioannes Mariana S. I. libro ſingulari De ſpectaculis extremo.

EPIGR. XXIV.

Cui lux prima ſacri muneris ipſa fuit.

Illa rectiſsimè Douſa Pater legit: & nos ſequuti ſumus.

Ibidem.

——*Spectes, dum laxent aequora Martem.*

Marcilius & Ramirezius exponunt, Locum dent æquora Marti, id eſt gladiatoribus, quos vinculis quaſi conſtringunt, ne in arenam prodeant: impeditæ ſunt mari in caveam immiſſo pugnæ gladiatorum: ſed finito Naumachiæ ſpectaculo, & aquâ rurſus emiſſâ, laxato quaſi vinculis, Marti locus erit, & copia iterum pugnandi gladiatoribus. Hoc ipſis commentum placet. Mens quidem ea Epigrammatis. at *Martē* hîc accipi pro gladiatoribus, nugæ. Qui non videt, certamen navale intelligi, eum lolio victitare oportet. Nam quid aliud eſt, quàm prælium? *Dum laxent Martem*, id eſt, dum certamini finem faciant. *Enyo* hoc ipſo Epigrammate, pro eodem Epigr. XXII. commiſsiō uri cum rhinocerote *praelia Martis* dicuntur, hoc verſu:

Deſperabantur promiſſi praelia Martis.

Iam ſi rhinocerotem atque urum gladiis pugnaſſe volent; vereor, ne tam feſtivi gladiatores riſum doctis omnibus, & vel pueris ludibrium debeant.

Et puer inaſum rhinocerotis habent.

EPIGR. XXV.

Quòd nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda.

Hexaſtichon epigramma hoc hactenus fuit. Sed duo Epigrammata perperam in unum coaluere. Diſtichon prius de Leandro Naumachiario, ſingulare Epigramma eſſe, & à reliquis ſeparandū cēſeo. cū Clariſsimo Grutero & Codd. M S S. quos quatuor hîc conſpirantes habeo. Tetraſtichon quod ſequitur, contextum à quodam Scholaſtico non ineruditо, inclina-

clinat animus ſuſpicari. Non illud de ſpectaculo ullo eſt, quemadmodum præcedens, ſed Leandri ad Heronis amores natantis atque anhelantis hiſtoriã ſive fabulam continet. Non abſimile huic eſt in Apophoretis, ſub lemmate *Leander marmoreus*, diſtichon: ad cuius imaginem fortaſsis hoc adumbratum. Eſt autem tale, lib. XIV. Epigr. CLXXIX.

Clamabat tumidis audax Leander in undis:
Mergite me fluctus, cum rediturus ero.

EPIGR. XXVI.

Luſit Nereïdum docilis chorus æquore toto.
Audet affirmare Don Ramirez, hoc Epigramma hactenus à nemine, præter quam ſe, intellectũ. Hũc faſtũ Hiſpanicũ, quis æquo animo ferat? quis concoquat? quis non retundat? Quid ais, mi homo? quid reſpondes ad Raderianã? Etiam à Scaligero Dei benignitate intellectum rectè hoc epigramma; neque ipſi opus erat interprete Hiſpano tirone. Vide eius Diatribam: & præterea hæc accipe.
Credidimus remum, credidimusque ratem.
Si fuit remus ligneus, & ratis lignea, ut putant quidam, quomodo non fuerunt vera? Atqui Martialis dicit non fuiſſe vera, ſed quaſi vera credita. Nam Cæſariani iſti natatores ita variabant ſitum & ordinem ſuum, ut nunc fuſcinam, nunc navem, nunc anchoram, nunc gubernaculum, nunc malum cum Caſtoribus imitarentur.

Ibidem.

Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Quæ fiunt in terrã, præſertim in militia & inſtructionibus aciei, hæc in aquis facere quis excogitavit? Præclarum ſpectaculum. quod nemo, puto, negaverit. Reſque iam ita perſpicua eſt, ut ne rudioribus quidem de eã dubium relinquatur.

EPIGR. XXVII.

Iam nullum monſtris orbe fuiſſet opus.
Sic vulgò ferè legitur: ſic Aldinum exemplar, anni M. D. I. Sed alia Editio eiuſdem officinæ, anni M. D. XVII. habet,

Iam nullum in monſtris orbe fuiſſet opus.

Nec aliter Editio omnium prima, & Sebaſtiani Gryphii anni M.D.XLVIII. Rurſus Simonis Colinæi Editio anni M. D. XXXIX: *Iam nullum monſtris.* Variæque aliæ Editiones nunc in hanc, nunc in illam lectionem conſpirant. Sed particula *in* neceſſariò hîc requiritur: & ſcribendum omnino,

Iam nullo in monſtris orbe fuiſſet opus.

Atque ita non dubitabam in contextu ipſo emendare: conſentiente mecum Clariſsimo Ioanne Iſaacio Pontano, amico veteri & mihi coniunctiſsimo, in orâ libri ſui. Nec aliter legit Gerardus Gontius, apud Raderum in Curis ſecundis. cuius tamen interpretamentum mihi non ſit veriſimile. Hoc vult Poëta. Si olim tempore Herculis venator Carpophorus fuiſſet natus, non opus fuiſſet orbe integro ad monſtra domanda, quæ in diverſis univerſi orbis partibus ab Hercule dicuntur domita. Ideoque continuò ſubiicit per diſtributionem,

Non Marathon taurum, Nemee frondoſa leonem,
Arcas Mænalium non timuiſſet aprum, &c.

ſiquidem uno amphitheatro omnia domari potuiſſent à Carpophoro. qui viginti pariter feras uno die. muneris, uno eodemque ſpectaculo confecit.

EPIGR. XXIIX.

Auguſti laudes fuerant committere claſſes,
Et freta navali ſollicitare tubâ. &c.

Epigrammati huic præfixum vulgò ineptiſsimum Lemma, *Laus Auguſti.* Quid mirum? profluxêre ea omnia à librariolis & oſcitantibus ſcribis; quod ſupra vidimus. Inſcripſi ego, *De Naumachiâ.* Principiũ aliter, quàm vulgò, conceptum in quibuſdam mẽbranis: *Auguſti labor hic fuerat.* Aliàs: *Auguſti laus hæc fuerat.*

Ibidem.

Et domini Triton ipſe putavit equos.

Omnes tam excuſi quàm ſcripti, quos vidi, Codices conſpirãt in hanc lectionẽ. Vnus MS. notæ optimæ,

——— *Triton iſſe putavit equos.*

Alius, *eſſe* pro *iſſe.*

Ibidem

Ibidem.

Alnuit in liquidis ire pedeſter aquis.
Bonus idem ille codex, *Horruit in l. 1 p. a.*

EPIGR. XXIX.

Hoc de Priſco & Vero gladiatoribus Epigramma elegantiſſimum, publicavit princeps Scaliger in Catalectis: extatque in collectione veterum Poëtarum Pithœanâ. Martiale digniſſimum eſt. & hoc nomen præferebat lemma miniatum in antiquo Codice Excerptorum in membranâ; unde accepit vir Illuſtris. cuius fide nos hæc confidentius aſſerimus, & iure optimo ad librum Spectaculorum referimus. Epigrammatibus etiam aut Fragmentis ſequentibus in iiſdem membranis, ipſo teſte, prænotatum erat minio,

M. VALERI MARTIALIS.

Duo autem illa ἀποσπασμάτια quæ Epigramma de damâ proximè inſequuntur, coniuncta ſunt in Catalectis ad hunc modum, tanquam unius Epigrammatis fragmentum.

EIVSDEM.

* * *

Da veniam ſubitis: non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat, Cæſar, qui placuiſſe tibi.
Cedere maiori, virtutis fama ſecunda eſt.
Illa gravis palma eſt, quam minor hoſtis habet.

Eadem ediderat antè ad calcem huius libelli V. C. Hadrianus Iunius, optimè de literis & Martiale meritus, princepsq; in Belgis: ſed diviſa in duo ἀποσπασμάτια, cū hac admonitiuncula: *Sequentia duo diſticha, à Iano Douzâ ſubminiſtrata, quòd ab Auctoris genio non viderentur aliena, adſcribenda duxi. quorum primum maioris fuiſſe Epigrammatis finis videri poteſt.* Acceperat verò Douza (quod memini ex ipſomet audiviſſe) à Petro Daniele Aurelianenſi, viro iuvandis literis nato. Quare hoc Epigramma & reliqua ſequētia, Martialis eſſe, & ad hunc Librum pertinere, non eſt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſt quod dubitemus. Indoles ſt.li, argumentum, &, quod caput eſt, auctoritas vetuſtiſſimi libri, quem Scaliger, Pithœus, aliique triverunt, id ſuadent. Erat autem ille Codex omnium emendatiſſimus, ut qui pauciſſima haberet menda.

Ibidem.

Lex erat, ad digitum poſitâ concurrere palmâ.

Ita ſine dubio legendum; (Nota Scaligeri eſt in ſecundâ *E*ditione Catalectorum, nam in priore Lugdunenſi Rovillianâ, nihil tale:) Cùm miſſionem vellet dare Cæſar utrique gladiatori, quorum alteruter ab altero vinci nunquam potuit, hac lege dedit, ſi alter à carceribus, alter à metis eodem momēto temporis profectus, ita curreret, ut in concurſu alter in alterius palmam digitum imponeret. Quod evenit; & uterque palmarium habuit, tanquam invictus. Oportebat igitur, vt uterque digito indice manûs dextræ infeſto, ſiniſtræ autem palmâ explicatâ curreret. Ita alter in alterius palmam in concurſu immittebat. *E*legans *E*pigramma, & Martiale dignum. Hæc tum ille. quem poſtea ab hac ſententiâ declinaſſe, Græca ipſius oſtendunt: cùm λαχμὸν δακτύλων vertit. quaſi hoc velit Auctor, Cùm videret Cæſar, neutrum ab altero pugnando vinci poſſe, quid faceret? alterum victorem pronunciare, eſt alteri iniuriam facere. Neuter enim victor: neuter victus. Pulchro commento ancipitem litem diremit. Juſſit, ut micatione digitorum inter ſe palmam ſortirentur. *D*iſplicuit lex magnanimis pugnatoribus. Redintegrato certamine, tandem ambò procubuerunt. Ita uterque victor, uterque victus fuit.

Pugnavere pares, ſuccubuëre pares.
Contigit hoc nullo, niſi te ſub principe, Cæſar,
Cùm duo pugnarent, victor uterque fuit.

Palma itaque non pro manu accipit hîc, ſed quemadmodum Terentius:

——— *In medio omnibus*
Palmam eſſe poſitam.

Poſitâ palmâ, in medio ſcilicet, ut eius eſſet qui concurſu digitorum vinceret, *Ad digitum concurrere*, eſt

eſt *λαγχάνειν δακτύλοις*. concurſu enim digitorum hoc fit. Latini *micare digitis*; Itali *Morram* vocant. Qui hunc luſum ſpectarit, ſtatim intelligent, quid ſit *concurrere ad digitum*. D. *S*caliger verſiculum iſtũ ita Græcè reddidit:

Συνήθη μ' ἰὼ, λαχμοῦ λιχανῶν τὸ βραχεῖον ὁμαρτεῖν.

Quæ interpretatio (hui !) quàm longulè abit à commento Rameziano ! *S*entit ille Legem *Cæſaris* hanc fuiſſe, Ne alteruter ad poſitam palmam cõcurreret, antequam alter per digiti ſublationem, ex more, ſe victum eſſe fateretur. At fruſtra hoc adagiũ *Tollere digitum* huc adducit. quomodo *ad digitum concurrere*, eſt *tollere digitum*, aut *concurrere ad digiti ſublationem?* quid ineptius ? Non nego morem fuiſſe amphitheatralem & gladiatorum: ſagaciſsimo Lipſio minimè præteritum *S*aturnal. lib. I I. cap. XXI. in Editionibus quæ ſummam manum acceperunt. Quem morem quoque ampliſsimus & doctiſsimus *M*arquardus Freherus, amicus dum viveret meus, illuſtrat, propoſitâ duelli gladiatorii ſculpturâ eleganti, ex antiquâ Sardonyche : in quâ Danuvius ſuccumbens in arenâ digitum exerit, eique imminẽs Cecrops ſicâ minatur, proiectis hinc illinc parmulis. Præclarum Antiquitatis monimentum! quod ut videant ſtudioſi, eruditè ab editore expoſitum, ſuadeo. Reliqua quæ ſubdit iuvenis Hiſpanus, de loco Quinctiliani Inſtitut. Oratoriar. lib. V I I I. cap. V. futilia ſunt ; & non immeritò acriter impugnata à Muſambertio *M*arciliano. Vide etiam Commentarium Raderi, Curis ſecundis utiliter auctum.

EPIGR. XXX.

Concita veloces fugeret cùm dama Moloſſos,
Et variâ obliquas necteret arte moras.

Mendoſè editum in Catalectis,

Et variâ lyncas necteret arte morã.

In Editione Gruterianâ rectè quidem *moras*, ſed perperam *lyncas*: quod quid ſit, perſpicere nequeo. Puto in Chirographo *oblicas* exaratum fuiſſe. Dolendum verò huic Epigrammati aliquid deeſſe ; tam ſuave eſt, tamque elegans & politum. Quamquam, ſi aſteriſci tollantur cum proximo pentametro,

metro, & cætera coniungantur, non videbitur admodum hiare. Ad hunc videlicet modum:

Concita veloces ageret cùm dama Moloſſos,
Et variâ obliquas necteret arte moras:
Cæſaris antè pedes ſupplex, ſimilisque roganti
Conſtitit: & prædam non tetigêre canes.
Numen habet Cæſar. ſacra eſt, ſacra poteſtas.
Credite: mentiri non didicê re feræ.

Imò, quis neget numeroſiſsimum atque elegantiſſimum? Pari argutiâ Epigr. XVII. de Elephante ſupplice, ac Cæſarem adorante:

Crede mihi. numen ſentit & ille tuum.

Sanè hoc Epigramma illo ſuperiore, de miro duello gladiatorum, non deterius. eſt. quod & in veteri Codice præferebat nomen Martialis.

EPIGR. XXXI.

Cedere maiori, virtutis fama ſecunda eſt.

Hæc quoque duo diſticha, ſicut in Editione Iunianâ divulſa legebantur, exhibuimus: Continuabantur verò in membranis ſub nomine Martialis, hoc ordine:

Da veniam ſubitis non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat, Cæſar, qui placuiſſe tibi.
Cedere maiori, &c. uti in Catalectis.

Eſt autem finis Epigrammatis ἀκέφαλος. De quo vide ad Epigr. XIX. Cenſor Hiſpanus, *Duo hæc*, inquit *poſtrema Epigrammata duobus diſtichis contenta, aut corrupta, aut Martiale indigna*. O Ariſtarchum! Si hæc indigna, etiam illa ſuperiora indigna ſunt. Sed non eſt, quòd nos moveat iudicium protervi adoleſcentis; cui peſsimus, ineptiſsimus, & nunquam tironibus legendus Scriptor, lippitudo Latinitatis, Martianus Capella, *bonus Latinitatis auctor* cenſetur. Cui lib. IV. Epigr. XXVII.

Sæpè meos laudare ſoles, Auguſte, libellos.
Invidus, ecce, negat. num minus ergo ſoles?

τὸ *ergo* ablativus eſt Græcus nominis ἔργον. ut *reapſe* ſignificet. Etiam hoc verſu Epigr. LXXXIIX. eiuſdem libri:

Ergo nec argenti ſex ſcriptula ———

Præter

Præter infinitos ſolœciſmos & linguæ ſcabitudinē ſibi familiarem, eiuſmodi alios piguiſſimos errores nō modio, ſed ipſo horreo, lectoribus admetitur. Quibus recitandis non abutar doctarum aurium patientiâ.

——— *DI, talem Muſis avertite peſtem!*

Ibidem.

Celere maiori, virtutis fama ſecunda eſt.

An *victoris* pro *virtutis* reponendum? Pugnam imparium celebrat Poëta, ubi minor maiori cedit: quemadmodum taurus elephanto. Sic contra Epig. XVIII. ubi minor maiorem, nempe tigris leonem, vincit. Ea quidem ſumma laus eſt, cùm minor hoſtis maiorem vincit. Secundum proximumque decus ſtatuit, cùm minor maiori hoſti cedit. Et hoc modo ingenioſè inglorium ac victum ſolatur; quaſi exēplo Lauſi Virgiliani, Æneæ magni dextra cadat. Si diſtichon hoc Epigr. XIX. adijciatur & combinetur, ſemiplenum alioquin & acumine deſtitutum Epigramma, plenum erit atque acutum. Atque idem ſenſiſſe Rutgerſium noſtrum vidimus. Sed firmandæ noſtræ divinatiunculæ facit, quòd litera *a* in *u* non rarò migret, & contra. quod notum Philologis, & ijs qui manuſcriptos Codices triverunt. Exaratum hîc ſcilicet *victuris*. unde factum *virtutis*, cùm *victoris* legi oporteret. Lib. VII. Epig. XXIX. in membranis diſertè perſcriptum eſt,

Teſtile victuris tormentum dulce.

cùm vera ac genuina extra controverſiam lectio ſit,

Teſtile Victoris tormentum dulce.

Vides hîc *o* in *u* degeneraſſe. Quod ſolenne quidem eſt, & teſtatiſsimum. Sed iuvat inſigni exemplo approbare, & ſimul medicinam facere loco Propertii, qui iam diu in morbo cubat. Lib. III. Eleg. VIII.

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et cecinisse modis dure poëta tuis.

Ita veteres omnes editiones, & meliores libri ſcripti. Quod in quibuſdam cuſum,

Et ceciniſſe modis Coe poëta tuis,

ex Beroaldina depravatione eſt. Animo ſuo obſecutus Scaliger edidit,

Et ceciniſſe modis pure poëta tuis.

Malè. Ego nõ dubitem, cùm *dure* etiam ſit in Codd. Palatinis & membranis Comelinianis (teſte ac fideiuſſore diligentiſsimo Iano Gebhardo) præſtare veram lectionem Propertii,

Et ceciniſſe modu Dore poëta tuis.

Dorus pro *Dorius*, & *Doricus*: ut *Iona* pro *Ionia* lib. II. Eleg. XIIX.

Et quot Iona tulit, vetus & quod Achaïa firmas.

Ita inibi Scaliger repoſuit, cùm in vulgaris eſſet, *Et quot Troia.* Sed in ſcripto reperit, *Et quot hioa*; & eadem manu in margine, *Hiona*. Vnde *Iona* putat eum dixiſſe pro *Ionia*, ἰωνία: Nam & *Arabus* dixit, pro ἀράβιος, & Virgilius in Culice, *Cilicus* pro κιλίκιος. Idemque in divinâ Æneide, lib. XII.

——— *Gemit ultima pulſu*
Thraca pedum ———

Item,

Ac velut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto
Inſonat. ———

Statius Thebaidos lib. v. verſ. 78.

Dulcius Edonias hyemes, Arctonque frementem.

Sic vulgò. Sed Servius in locum Maronis proximè laudatum, ita commentatur: EDONI, *Thracij: Nam Edòn mons eſt Thraciæ. Sanè ſciendum hoc loco erraſſe Donatum, qui dicit* EDONII *legendum, ut* Do *brevis ſit ſecundùm Lucanum,* (lib. I. verſ. 675.)

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Namque certum eſt, Syſtolen feciſſe Lucanum. Unde EDONI *legendum eſt: ut ſit hic* EDONVS, *huius* EDONI. *Statius & Virgilium & artem ſecutus ait,*

Triſtius Edonas hyemes, Hebrumque nivalem.

Non Edonias. Hæc doctiſsimus Grammaticus. Seneca Hercule Oeteo, verſ. 190.

——— *Vel in Edonas*
Tollite ſilvas.

Plura parcam adſcribere Metaplaſmi huius exempla,

pla, ſi unicum præterea Propertij addidero. Lib. III. Eleg. I.

Nec mea Phæacas æquant pomaria ſilvas.

Phæacas ex arte, nō *Phæacias* cū vulgo dixit. Similiter itaque & hîc Vmber *Dore* ſcripſit, non *pure*, aut *Coë*, quod ſomniant docti. An non eodem etiam modo legendum Elegia ultima lib. III?

Deſine Achilleo componere verba cothurno:
Deſine, & ad molleis verba reſolve choros.
Incipe iam anguſto verſus componere torno:
Inque tuos ignes, dure poëta, veni.

Somnium'ne putabimus, ſi coniiciamus legendum eſſe?

Inque tuos ignes, Dore poëta, veni.

Et, ſi Elegia prima eiuſdem libri ſcribamus?

Nec mea conveniunt Doro præcordia verſu
Cæſaris in Phrygios condere nomen aves.

Pro quo in omnibus, *duro præcordia verſu. Doro*, i. *Philetæo*, molli, tenero, elegiaco. Non belle, inquit, cōvenit ingenio meo, nec aptus ſum Elegiacus ille amorū ſcriptor, molli verſu Cæſarē referre & recondere in numerum Heroum Troianorum. Præcedunt proximē duo hi verſus:

Sed neque Phlegræos Io[illegible]s, Enceladique tumultus
Intonet anguſto pectore Callimachus.

Sæpiuſculè coniungit Philetam & Callimachum, quos Poëtas Græcos ſibi ſtudioſē imitandos propoſuerat, Genium ipſorum ſanctē ſemper veneratus; cum voto, ut ſummyſtes fieri & eorundem ſacrorum particeps poſſet. Lib. II. Eleg. ult.

Tu ſatius memorem Muſis imitere Philetam,
Et non-inflati ſomnia Callimachi.

Lib. III. Eleg. I.

Callimachi Manes, & Coi ſacra Philetæ,
In veſtrum, quæſo, me ſinite ire nemus.

Lib. IV. Eleg. VI.

Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna miniſtret aquas.

Dorium

Dorium poëtam, cuius imitator ſummus erat, ſe vocat. Sic non ſolùm ſe *Callimacho* comparat, ſed & nomen ipſum vindicat. Vt Eleg. I. Lib. IV.

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.

& Lib. II. Eleg. principe, de ſe.

Intonet anguſto pectore Callimachus.

Cæterùm Philetæ meminit quoq, Lib. III. Eleg. I.

Talia Calliope, lymphiſque à fonte petitis
Ora Philetea noſtra rigavit aquâ.

Nominat ſe *Callimachum anguſto pectore*, & *non inflatum*: videlicet mollem, tenerum, elegiacum, ac amorum ſcriptorem. Nempe,

Callimachi numeris non eſt dicendus Achilles,

quod monet Ovidius I. De remedio amoris. Sed iam tandem in gradum redeamus, extra lineam oleasque aliquamdiu exſpatiati.

IN FRAGMENTVM.

Flavia gens, &c. Appoſui heic fragmentum, quod antiquus Iuvenalis Interpres ad Sat. IV. laudat: non quòd huc illud pertinere exiſtimem: non. ſed infarctum volui paginæ alioqui vacaturæ. Iuvenalis locus eſt:

Cùm iam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Vltimus, & calvo ſerviret Roma Neroni.

In quem vetus Scholion:

Hoc convicium in Flavium Domitianum, Titi fratrem, Veſpaſiani filium iactat, qui calvus fuit, ut Suetonius refert. Propter quod Iuvenalis ſub ſpecie honoris (militiæ prætextu) *relegatus eſt ad cohortis curam in Ægypto, Oaſa, ubi mortuus eſt.* Vltimum *autem dicit, quia in illo CAESARVM origo defecit: & cùm Veſpaſianus, & Titus, & Domitianus Flavia ex gente fuerint, Domitianus ultimus illorũ & diſſimillimus imperavit. Meminit hoc Valerius Martialis in Epigrammate. hic vero ſibi finit* [fortè, *Val. Martialis* III. *Epigramma. enimverò ſic finit.*]

Flavia gens, quantum tibi tertius abſtulit hæres!
Penè fuit tanti, non habuiſſe duos.

Si Scholiaſtæ huic (an Probo, cum Valla?) fides

fides adhibenda. Martialem profecto integrum non habemus, utique Epigramma illud de gente Flaviâ, cuius ἀποσπασμάτιον producit, nuſquam in editis compareat. Sed mutilum ad nos perveniſſe, teſtetur etiam, ſi fide dignus, vetus Lucani Scholiaſtes, nondum typis vulgatus: cuius hæc verba ſunt ad Lib. VII.

NON TIBI VERA FIDES. *Duobus*, inquit, *vitijs Pompeius laborabat; nam & favoribus multum gaudebat: ut in primo ipſe* Lucanus:

——— famæque petitor,
Multa dare in vulgus, totus popularibus auris
Impelli ———

Et vitio ſuperbiæ quodammodò tangebatur; nam uno digito caput ſcalpebat. quod eſt ſuperbiæ indicium. Unde Martialis de eo in Epigrammate:

Magnus, quem metuunt homines, digito caput uno
Scalpit. quid dicas, hunc ſibi velle? virum.

Quidam autem luxuriæ vitium eſſe dicunt, uno digito caput ſcalpere: ut Iuvenalis. &c. Nec hoc Epigrammation uſpiam apud Martialem exſtat. Neque ſanè oportet, cùm alterius auctoris ſit. Seneca Rhetor Controverſiâ XIX. C. Licinio Calvo adſcribit. *Carmina* inquit, *eius quamvis iocoſa, plena ingentis animi ſunt. de Pompeio dixit,*

——— digito caput uno
Scalpit. quid credas, hunc ſibi velle? virum.

Martialis eſſe non poteſt, ſed illius qui Cn. Pompeium vidit: nam poſt tot annos ita ſcribere de Pompeio, tãquam præſente, ridiculum. In Catalectis veterum Poëtarum ſub nomine Calvi legitur:

Faſciolâ qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit. quid credas, hunc ſibi velle? virum.

Unde hemiſtichiõ prius, quod Senecæ deeſt, deſumptum ſit, ſi te fortaſſis fugit, diſce id eſſe ex ingenio Scaligeri, & loco Ammiani Marcellini lib. XVII. Adi Lectionum Auſonianarum lib. I. cap. XVII. ubi Cinnæ, memoriæ lapſu, tribuitur. Ex eiuſdem

Cata-

Catalectis ita apud Rhetorem à V. Cl. Nicolao Fabro ſuppletum video. Sed pentameter ibi non bene emendatus aut interpunctus.

Scalpit, quid credas hunc ſibi velle virum?

Nam interpunctio, & nota interrogatoria poſt τὸ *velle*, eſt omnino neceſſaria: ut mordaciſſimum ſit atque amariſſimum, quod voluit auctor, epigrammation. Hunc dentem non animadvertit etiam Politianus Miſcellaneorum cap. VII. Vide ibi de Pompeio, deque eo ipſo & Calvo ſummo Oratore & Epigrammatario Fabrianas in Rhetorem Annotationes. Sed & Andreas Schottus in eundem legēdus, vir exquiſitæ diligentiæ & doctrinæ. Vbi cùm Scaligerum alleget dubitantem & animi dubium, utrū amplectatur illud *Faſciolâ* &c. an veteris ſchedæ lectionem, *Magnus quem metuunt homines*, non eſt quòd credat aliam eam eſſe ſchedam, quàm MS. Gloſſarii Latini, in quo tamen ἀντὶ τοῦ *homines* legebatur *omnes*; aut Lucani, cuius meminimus, Scholiaſtæ hactenus inediti.

Sed iam præſcriptos evecta eſt pagina gyros.

Sequitur

IANI RVTGERSII VARIARVM LECTIONVM LIB. V. CAP. XV.

Quæſitum de Auctore libelli Spectaculorum. Non unius Martialis eſſe, ſed diverſorum, oſtenſum. Aliquoties correctus.

EXſtat hodie Libellus Spectaculorum non inelegans, quem vulgò Val. Martiali tribuunt. Verùm ego quò minus id faciam, rationes multæ ſunt. Primùm certiſſimum vera è falſis cognoſcendi argumentum, ſtylus; qui in hoc libello (nec de omnibus epigrammatis loquor. nōnulla Martialis eſſe, mihi conſtat.) reliquis Martialis ſcriptis tanto inferior eſt, quanto is poëta omnes

omnes ſui generis poëtas ſuperavit: Poſſem multis id oſtendere, niſi certò mihi perſuaſiſſem, neminem qui exiguum modo Poëtices guſtum habeat, futurum eſſe, quin, ſi vel primum tantùm Epigramma legerit, id perſpecturus ſit. Deinde, quod nonnulla in hac farragine videam, quæ non ſub Veſpaſianis, aut Nerva, ſub quibus Martialis floruit, verùm ſub aliis quoque Principibus acciderût. Quale eſt, quod ſcribit de Paſiphaë, (Epigr. v.)

Iunctam Paſiphaën Dictæo credite tauro.
Vidimus. Accepit fabula priſca fidem.

Hoc enim, Suetonio teſte in Nerone capite XII. ſub Nerone contigit. Neque ſi illud ſub ullo eorum Principum, ſub quibus Martialis vixit, accidiſſet, accuratiſsimus ſcriptor, quod ſub Nerone velut miraculum quoddam narrat, id ſub aliis tacuiſſet. Puto igitur huic libello contigiſſe, idē quod Priapéis accidit; ut ad celebrandos Principum ſuorum ludos non Martialis tantùm, verùm omnes eorum temporum Poëtæ operas contulerint; quæ omnia poſteà quiſpiam, & forraſſe Martialis, quia eiuſdem argumenti erant, in unum collecta evulgarit. Cur autem Martiali potiſsimùm aſſcripſerint, non magis cauſſam afferre poſſum, quàm quare Priapéia Virgilio attributa ſint. niſi Martialis forſan, ut dicebam, collegerit. Vt ut eſt, habebitur is honos Martialis nomini, ut nonnulla, quæ in eo emendare mihi viſus ſum, hîc proponam. (Epigr. IV.)

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes,
Traducta eſt Getulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dabat, exſilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab urbe:
Impenſis vitam Principis annumeres.

Primùm, hoc Epigramma in duo ſecandum eſt. Vel cæcus enim videat, illo acumine;

Et delator habet, quod dabat, exilium,

Epigramma claudi. Deinde, pro illis *Traducta eſt Getulis*, neſcio, an non *Traducta eſt Thulen*, legendū ſit. Nam cùm Suetonius dicat, eos in aſperrima inſularum relegatos eſſe, non poterat immitius exilium

exco-

excogitari eâ inſulâ, quam vniverſi terrarum orbis ultimam eſſe exiſtimabant. (Epigr. XVI.)

Raptus abit mediâ quòd ad athera taurus arenâ,
Non fuit hoc artis, ſed pietatis, opus.
Vexerat Europen fraterna per aequora taurus,
At nunc Alciden taurus in aſtra tulit.
Caeſaris atque Iovis confer nunc ſtemma iuventus,
Par onus ut tulerint, altius ille tulit.

Pro illis *ſtemma iuventus*, legebat Douſa *ſchema iuvencos*. alii *ſcamma*. Ego hoc Epigramma ad Arruntium Stellam, poetam clariſsimum, ſcriptum fuiſſe puto; ad quem & alia nonnulla eiuſdem generis Martialis exſtant. Is, ut conſtat è veteribus, Domitiani geſta verſibus celebrarat; in quibus, cùm de hac machinâ loqueretur, potuit eam tauro Europes vectori comparaſſe. Quod commentum Martialis, ſeu quicumque tandem auctor eſt, cui ea adulatio parum videbatur, ac ſi minus dixiſſet Stella, hoc Epigrammate ei quaſi exprobrat. Lego igitur hoc modo,

Caeſaris atque Iovis confer nunc, Stella, iuvencos:

(Epigr. XIX.)

Qui modò per totam flammis ſtimulatus arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic Elephanta putat.

Non eſt ullus, ut opinor, qui non videat, hoc Epigramma eſſe μείουρον. Ego id fragmentum, quod in fine huius libelli (XXXI) exſtat, huc retrahendum puto. Hoc modo:

Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic Elephanta putat.
Cedere maiori, virtutis fama ſecunda eſt.
Illa gravis palma eſt, quam minor hoſtis habet.

Quo facto & Epigramma plenum eſt, & venuſtiſſimè clauditur.

P. SCRI-

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

EPIGR. LIB. I.

IN EPIST. AD LECTOREM.

SPERO *me ſequutum*, &c. In pleriſque antiquis exemplaribus *MSS*. præfationi huic appictum eſt lemma ſive epigraphe huiuſmodi: *M. Val. Martialis lectori ſuo S*. Aliàs: *M. Val. Martialis Coquus lectori S*. Et ſic diſertè quidã codex nõ infimæ vetuſtatis, ſed notæ (ut ita dicã) Opimianæ. Hinc in Latino veteri Gloſſario M S. hoc cognomento Martialis aliquoties citatur; nec aliter Ioanni *S*aresberienſi in Nugis Curialibus non vno loco, aliisque ſecutuleiis. *E*tiam (quod mirere, niſi illud omne de Martiale, emblema ſit) Æl. Lampridio, in Alexandro *S*evero. *Quòd leporem*, inquit, *quotidie haberet, iocus poëticus emerſit : idcirco quòd multi ſeptem diebus pulchros eſſe dicunt eos qui leporem comederint, ut Martialis Coci Epigramma ſignificat, quod in eam quæ deformis eſſet compoſuit*. (lib. V. Epigr. XXIX.) Th. Marcilium auctores hos ſequentem reprehendit *S*caliger, his verbis: *Martialem ſemper* coquum *vocat, quaſi id neceſſe ſit, quia legitur in Lampridio. Imò non debuit ita vocari, niſi cauſam nominis ſciamus*. Quam equidem ingenuè fateor me ignorare. Non

 auſim

auſim tamen cum Rameſio aſſerere, à Ioanne Saresberienſi *coquum* per iocum appellari Martialem. Negat ille nomen proprium, ſed citat Lampridii locum adverſus ſe. Nam ibi Martialis cognomen videtur *Coquus*. Neque enim interpolatio ulla Critica hîc locum habet, meo iudicio. V. C. Fulvio Urſino, in Notis ad Hiſtoricos, legendum videbatur, *Martialis quoque Epigramma*. Erycio verò Puteano, in Modulatâ Pallade, *Martialis ioci*. Fruſtra. Videtur, inquam, potiùs eſſe cognomen illius; fideiubentibus omnino (quos dixi) vetuſtioribus codicibus Martialis, Gloſſis antiquis, & Ioanne Saresberienſi; in quibus manifeſtò *M*artialem cognomine *Coci* citari legimus. Cur ita cognominatus, obſcura nobis cauſſa eſt. An? quòd Cocos præcipuè dicaces & irriſores fingant & inducant Comici veteres? Poſidippus, Philemon, *Menander*, alii. unde *Sales Maſonici*, & *Maſonica dicteria* proverbio nota. Μαίσωνα coquum indigenam & civem priſci vocaverunt, dictum (ex Chryſippi philoſophi ſententiâ) ἀπὸ τοῦ μασάσθαι, *à mandendo*. Aliis aliter videtur: de quo Athenæus Deipnoſophiſt. lib. XIV. An verò cognomen hoc ei inditum? quòd miſcellā & Epigrammatū quaſi cinnū facit, id quod coci ſolēt. Vel? quòd Poëmata ſua convivio menſæque inſtructæ ſolet comparare. Lib. IX. Epigr. LXXXI. ad Auctū Pompeium, uti arbitramur, librarium; cuius etiam lib. [illegible]1. Epigr. LI. & LII. meminit:

Lector & auditor noſtros probat, Aucte, libellos.
Sed quidam exactos eſſe Poëta negat.
Non nimiùm curo: nam cenæ fercula noſtræ
Malim convivis, quàm placuiſſe cocis.

Lib. X. Epig. LIX. ad faſtidioſum ac delicatum lectorem.

Dives, & ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cena tibi: ſed te mactea ſola iuvat.
Non opus eſt nobis nimiùm lectore guloſo:
Hunc volo, qui fiat non ſine pane ſatur.

An fortaſſis ita cognominatus, quòd menſam paraſiticam amaret, interque epulas & vina legi ſolitus? Lib. IV. Epigr. VIII.

Hora

Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum,
Temperat ambroſias cùm tua cura dapes. &c.

Id quod ingerit etiam lib. x. Epig. x i x. Nam cocum ſervitio & arte fuiſſe, miſerrimum nempe mancipium viliſſimæ conditionis, non eſt quod exiſtimemus. Spernit id ipſa ratio, & ſexcenta Martialis loca meliùs nos ſperare iubent. Quinimò ſuum ipſe cocum agnoſcit urbaniſſimus paterfamilias, *vidit quem Roma tribunum.* &c.

Lib. v, Epig. L.

Deſine iam noſtram, precor, obſervare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba cocus.

Lib. v i i i. Epig. xx i i i.

Eſſe tibi videor ſævus, nimiumque guloſus,
Qui propter cenam, Ruſtice, cædo cocum.
Si levis iſta tibi flagrorum cauſſa videtur,
Ex quâ vis cauſſâ vapulet ergo cocus?

Non igitur ſemper vocationes quæſivit Noſter, ſed & amicos ipſe ſuos frequenter vocavit. Vide Lib. i i, Epig. Lxx i x. Lib. x, Epig. xLv i i i. Lib. x i, Epig. L i i i. & alibi. Fortean quoque, quòd iiſdem locis cenæ ſuæ fercula ſingulatim commemoret, *Cocus* quibuſdam cœpit appellari. Nam hoc nomẽ varias coniecturas admittit. An dicemus, eum præter Epigrammatum libros, alia Poëmatia edidiſſe? An Coquinaria Martialis, aut de re culinariâ Collectanea ſomniabimus? Suboluit mihi aliquando, fuiſſe antiquitus membranas, quibus in fine Apophoretorũ quatuor diſticha cũ tribus lẽmatibus deerant, ſuperſtite quarti à fine diſtichi lemmate, quod eſt cocvs, nõ adſcripto, quod ratio exigebat, ſuo Epigrammate, deinde oſcitantes librarios, qui membranas illas transſcribebant, nihil deſiderari ſuſpicãtes, præter illud ſuum ſolenne explicit, coronidem hanc operi finito appoſuiſſe, cocvs explicit. vel, cocvs feliciter explicit. idemq; nomen, ſive cognomẽ ſit, tandẽ etiam in ipſam libri frontem irrepſiſſe, ac divulgatum eſſe. Vnde nunc ferè in exemplaribus ſcriptis Titulum non aliter concipi videmus.

Non ita diſſimili corruptelâ, ſpuria quædã bonorũ Auctorũ nomina proſeminata eſſe, erroresq; pro-

pagatos, humaniores & qui paulò harum rerum peritiores ſunt, non ignorant. Meminimus utique ex vitioſâ ſcripturâ, poëtæ Propertio *Nauta* cognomen adhæſiſſe; etiam in manuſcripto Cuiaciano, quo uſus Scaliger, hanc epigraphen præferente. *Sex. Aureli Properti Nauta Monobiblos ad Cynthiam.* Natum videlicet, adiectumque poëtæ cognomen *Nauta*, ex mendoſo Eleg. XXIV. lib. II. loco, in his Cynthiæ ad Propertium;

——quamvis navita dives eras.

ubi nunc ex caſtigatione Beroaldinâ emendatè legitur,

——quamvis non ita dives eras.

EPIGR. I.

Hic eſt, quem legis, ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis.

Vidi qui alterius Epigrammma in commendationem Auctoris putaret. Non eſt. Inferius (lib. V. Epigr. XIII) non humilius de ſe ipſo loquitur, & penè iiſdem verbis:

Sed toto legor orbe frequens; & dicitur, Hic eſt.
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.

Ecce hoc illud eſt, quod continuò ſequitur:

Cui, lector ſtudioſe, quod dediſti
Viventi decus atque ſentienti,
Rari poſt cineres habent poëtæ.

Similiter gloriatur cùm alibi, tùm lib. III. Epig. XCV.

Ore leger multo, notumque per oppida nomen
Non exſpectato dat mihi fama rogo.

Sic ſolent Poëtæ ſibi applaudere, & iactabundi laudes ſuas efferre. Ovidius non uno loco. Aliique, etiã recentiores, in hoc valetudinario.

EPIGR. II.

Libertum docti Lucenſis quære Secundum.

Diu me exercuit hic locus, planè dubiæ ſanitatis. Patriam patroni, non patronum ipſum nominat. quod abſurdum, & contra morem nõ dicam huius Poëtæ,

Poëtæ,ſed ſani cuiuſvis Romani. Ecquis hominem noverit de patria ſuâ ? Miror tantam abſurditatem non animadvertiſſe Interpretes. Vitium an penitùs ſuſtulerim,neſcio. Errorem tamen deprehendiſſe, & quodammodo confeciſſe videor, quum ſcripſi *Secundi*, non *Secundum*. Quæ emẽdatio Scaligero quoque obſervata in orâ codicis ſui: quem utendũ nobis dedit humaniſſimus & ſummæ eruditionis vir Gerardus Ioannis Voſſius, amicus meus. Libertus Secundi, non Secundus ipſe, erat bibliopola. Alioqui res ridicula committeretur, ut *Lucenſis* eſſet nomen proprium viri, non gentile. Neque aliter fortaſſè ſcripſit Martialis. Nam & alibi Secundi huius meminit, adiecto eodem epitheto *docti*, atque etiam *diſerti*. Lib. v. Epigr. LXXX. ad Severum:

Quòd ſi legeris ipſe cum diſerto
(Sed numquid ſumus improbi?) Secundo;
Plus multo tibi debiturus hic eſt
Quàm debet domino ſuo, libellus.
Nam ſecurus erit, nec inquieta
Laſſi marmora Siſyphi videbit,
Quem cenſoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi.

Tamen turbat etiamnum, quòd deſignet tantùm non nominet librarium. quod aliàs non facit, & nomina ſemper exprimit. Quemadmodum hoc Libro, Epigr. CXIII, & CXVII. Lib. VII, Epigr. LI, & LII. Lib. IX, Epigr. LXXXI. & denique in veſtibulo Xeniorum: quibus locis Q. Valerianum Pollium, Atrectum, Pompeium Auctum, & Tryphonem (cuius & Fabius meminit) bibliopolas leges; elegantiores illos ac doctiores, quàm plerumque hoc ſeculo: ut qui novos libros ab auctoribus poſcebant, & cenſere eos ac vendere, nonnunquam etiam recitare ſolebant.

EPIGR. III.

Audieris cùm grande ſophõs, cùm baſia iactas.

Malim extritâ literulâ in fine, *baſia iacta*. i. τὰ ἀπὸ κοινοῦ, τὸ *audieris* bis ſubaudiatur: ut in illo Virgiliano;

Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.

Cùm audieris inquit, acclamationes auditorum, & quorundam fautorum crepantia baſia, gratulari omnes exiſtimes; atqui continuò excides faſtiditus. Infra, Poëtarum ſortem & iniquitatem fortunæ deplorans, ait: (*Epigr.* LXXVI. ad Val. Flaccum.)

——— ——— *at circum pulpita noſtra*
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Phœdrus Fabellar. Æſopiar. LXXXIX. Lib. V.

In plauſus conſurrectum eſt. iactat baſia
Tibicen; gratulari fautores putat.

Aut valdè animi fallor, aut legendum:

In plauſus conſurrectum eſt. iactant baſia.
Tibicen gratulari fautores putat.

Erat gratulantium, faventium, ardelionum, officioſorum, clientium, ſalutatorum, adulatorumque, ac mendicorum denique à facie oſculatas manus porrigere & iactare. Tacitus lib. I. Hiſtor. de Othone. Iuvenalis Sat. III. verſ. 106. & Sat. IV. verſ. 118. Recitatores, qui placuiſſent, baſiis exceptos, Plinius innuit Epiſt. XVII. lib. V. *A recitatione, multùm ac diu exoſculatus adoleſcentem, qui eſt acerrimus ſtimulus monendi, laudibus incitavi, pergeret quà cœpiſſet.*

EPIGR. IV.

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Cl. Ioannes Iſaacius Pontanus in margine libri ſui annotarat,

Laſciva eſt nobis pagina: vita proba eſt.

Non Hercules inconcinnè. Quomodo & Gruterus malebat.

EPIGR. VI.

Illæſum timidis unguibus læſit onus.

Quidam ſcriptus, *tumidis*; & ſic viro docto videbatur caſtigandum. Apage emendandi pruriginem: nec caudam iacta Grammatice, ſi faventem alicubi coniecturæ tuæ repereris Codicem. MSS. cum iudicio legendi ſunt: nec quæ ſcripta lectio eſt, ſemper proba eſt. Timidos aquilæ ungues dicit, ſollicitos ne excideret puer Ganymedes: & aquilæ Iovis cōparat leones Cæſaris, qui in venatione leporibus parcebant. Blanditur Domino ſuo Martialis, & effert eius Spectacula, cùm exhiberet & committeret lepores

pores cum leonibus. Ac uti heic aquilæ *timidos ungues* tribuit, ita in eodem ſpectaculo Epigr. CIV, *timidos dentes* in leonibus agnoſcit & miratur: timidos videlicet & ſollicitos, ne lepores læderent.

Quis ſpectacula non putet Deorum?
Hac tranſit tamen, ut minora, quiſquis
Venatu humiles videt leonum
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et ſecurior eſt in ore præda;
Laxos cui dare perviosque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes. &c.

Idem argumentum variis Epigrammatibus primo te hoc libro Auctor eſt perſequutus, & in leonum iucundiſſimos cum leporibus luſus ingenioſè (ut ſemper) luſit. Vide, præter ea quæ præ manibus habemus, Epigr. XIV, XXII, XLVIII, LI, LX. Horum ludicrorum etiam meminit Epigr. XLIV. ad L. Arruntium Stellam, &, quod eiuſdem argumenti eſt, XLV.

Ibidem.

Nunc ſua Cæſareos exorat præda leones.
Leones *exorare*, eſt manſuefacere. Manilius lib. IV. ubi de genitura manſuetariorum:
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni.
Idem *exarmare*. Statius Thebaid. XII. de leone vetulo:
Iam piger, & longo iacet exarmatus ab ævo.

Miraculum extollit Martialis: non nunc, inquit, manſuetarius exorat aut exarmat rabiem leonum, ſed ipſa præda; ipſe lepus.

Ibidem.

Quæ maiora putas miracula? ſummus utrique
Auctor adeſt, hæc ſunt Cæſaris, illa Iovis.

Malim cum melioribus libris, *ſummus utriſque Auctor adeſt*. Sic quidam ſcripti; ſic omnes anti-

antiquitus cuſi: *E*ditio princeps, Domitii Calderini, Aldi, Colinæi, Gryphii, Vaſcoſani, Boulierii, & aliæ antè Iunianam propagatæ: quæ hoc loco, ut etiam non paucis aliis, *M*artialem noſtrum corrupit ac deformavit: vitio potiùs correctorum, quàm illius viri longè omnium eruditiſſimi.

EPIGR. X.

Quid ergo in illâ appetitur & placet? tuſſis.
Prætuli *tuſsis*, etſi in pleriſque *tuſsit*. Vide *E*pigr. XXVI. lib. II.

EPIGR. XI.

Cùm data ſint equiti bis quina numiſmata.
Vult L. Ramirez de Prado, *bis quina numiſmata* hîc valere centum quadrantes, qui pro ſportulâ dabantur. Quod abſurdiſſimum eſt. Sed ignoſcamus illi, quia alios ſocios habet erroris: & in his Galliæ ſuæ & harum literarum præclarum ſidus Had. Turnebum, Adverſariorum lib. XVIII. cap. XXX. Bis quina numiſmata, de quibus hîc agitur, dabantur *E*quiti in theatro; centum quadrantes autem dabantur iis qui officium magnatibus præſtabant in toga, quod ſexcentis locis docet Martialis. Deinde, ſi decem numiſmata ſunt centum quadrantes, ergo ſingula ſunt denorum quadrantum. At quænam numiſmata Romæ fuerunt, quæ denis quadrantibus valerêt? *Numiſma* eſt argenteus nummus apud Martialem *E*pigr. XXXI. lib. IX.

Octo vides patulo pendere numiſmata roſtro
Alitis, hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non ſanguine, Cæſar,
Victima; iam ferro non opus eſſe decet.

Nummi autem argentei Romani erant, Denarius, Victoriatus, Seſtertius. Denarius erat LXIIII. quadrantũ; Victoriatus XXXII; Seſtertius XVI. Vides manifeſtam abſurditatem & defœdã hallucinationẽ. Si *numiſmata* pro *ſeſtertijs* accipis, decem numiſmata fuerint denarii duo cum ſemiſſe. qui fiunt quadrantes CXVI. Quæ cùm ita ſe habeant, nolim tantoperè Hiſpanum hoc tam vano commento vectari. Cæterùm, ex hoc *E*pigrammate colligimus, ut quẽadmo-

admodum Athenis dabatur ſingulis ſpectatoribus θεωρικὸν, dragma una; ita Romæ ſingulis Equitibus decem ſeſtertios dari ſolitos, ad vinum emẽdum, cùm totam diem in ſpectaculis deſiderent. Vide hoc libro Epigr. XXVI. quod eſt in eundem Equitem bibulum. Quæ ad illud de numiſmatibus tiro noſter denuo dixit, non Hercules hac eius annotatione ſaniora ſunt. Planè abſurda, inepta, ſtulta, futilia, ridicula omnia. Me verò dilucidè, quamquam paucis, de Numiſmate Theatrali ſcripſiſſe arbitror. Copioſius fortaſſè ac diſtinctius aliàs, volente Deo.

EPIGR. XII.

Stantia non poterant tecta probare Deos.

Vide hîc, ſodes, acumen Hiſpani Interpretis. Non intelligo, inquit, cum vulgo *probare* eſſe Deos; id enim ridiculum eſt; ſed *probare*, id eſt *probos eſſe ſe oſtendere*, bonos fateri, qui Reguli curã habebant, & diutius ſuperſtitem volebant. Ain' verò ſerio? At ego te, mi homo, ridiculoſiſſimum cenſeo, & omnium hominum, quotquot ſunt aut fuêre, ineptiſſimum, ſi ex animi ſententiâ iſthæc profers.

Non minore riſu proſequendum, quod ibidem monet Epigr. XC. lib. II. legendum,

Soſpite quo, manos credimus eſſe Deos.

Pro *magnos* legit *manos*, id eſt bonos. Porro Quirites! Stultitiâ ipſâ ſtultior eſt noſter Suaviludius:

Soſpite quo, nullos credimus eſſe Deos.

Nam *magnos* eſt perpetuum epitheton. Idem eſt, ac ſi dixiſſet, qui quatenus reſervatus es in ſalutem orbis, ideò fatemur eſſe Deos, quòd eorum cura ſis.

Itaque ineptè negat *probare* ab Heraldo πιςῶσαι exponi. imò rectiſſimè expoſuit vir doctiſſimus.

EPIGR. XXI.

Maior decepta fama eſt & gloria dextra:
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Iocularitèr iterum hîc errat. Hoc enim eius Scholion eſt. *Eſt a: occidiſſet fortè regem Porſenam Mucius,*

cius Scævola; qui ſupererant obſtinato animo, lecto imperatore, in obſidione permanſiſſent uſque ad urbis expugnationem. Effecit error, ut Porſena auditâ Mucij oratione, timuerit & abceſſerit. Ergo minùs feciſſet hac dextra occidendo regem, quàm errando. Peſſima interpretatio. Hoc vult Martialis: Si interfeciſſet regem, non tam nobile facinus feciſſet Scævola, quàm quòd tantam conſtantiam in cremandâ manu oſtēdit. Non fuiſſet tanta gloria interfecti regis, quanta eſt conſtantiæ in cremandâ manu.

EPIGR. XXII.

Quid nunc ſæva fugis placidi lepus ora leonis?
Voluit olim pater Douſa, *Quid non ſæva.* Scaliger, *Quid nunc ſcæve.* idque in Græcis ſuis eſt ſequutus:
Τίπτε, σκαιὲ λαγωὲ, φεύγεις στόμα πρηῢ λέοντος.
Sic Gellius lib. XII. cap. XIII. *Scævus*, inquit, *profectò & cæcus animi forem.* Virgilius: *Si mens non læva fuiſſet.*

EPIGR. XXVI.

Sextiliane, bibis quantum ſubſellia quinque
Solus; aquâ toties ebrius eſſe potes.
In eundem profligatiſſimum potorem, de quo ſupra Epigr. XI. Notâ interrogatoriâ Muſambertii non hîc opus in fine: *aquâ toties ebrius eſſe potes?* Quod obiter moneo, ne cui fraudi ſit, perverſa inde nata interpretatio, Tanquam Sextilianus hic videri vellet ὑδροπότης, & cùm vinum aſſiduè hauriret, ſimularet ſe aquam bibere. Logi. Dicit ſimpliciter, potes, quoties ſitis, aquæ potu ſitim tuam ſedare.

EPIGR. XXXI.

Eucolpus domini Centurionis amor.
Ita hoc loco, & lib. V. Epigr. XLIX, non *Encolpus*, legendū monuit me vir magnus, ex veteribus Inſcriptionibus; in quibus ſæpè, ut aiebat, EVCOLPVS, nūquā ENCOLPVS. Quod poſtea tamē inſpectis iis & pervolutatis Inſcriptionibus, quas ex collectione Gruterianâ ubertimas atque abſolutiſſimas habemus, aliter ſe habere comperi. Lectus hîc quidem mihi EVCOLPVS, rarenter admodum; ſed

ſed ſæpius, ENCOLPVS. Quod nomen exoſculor nunc, & repoſitum ſuo loco optè ex fide vett. Codd. & Lapidum. Meliùs ſanè ſic convenientiusq; appellabitur puer domino gratus teneriterque amatus, quaſi qui *in ſinu* eius geſtaretur, nomenclaturâ Græcâ. Et quos diligimus, eos *ſinu* nos & *oculis ferre* vulgari conſuetudine dicimus. Liberto Plinii Secundi, Encolpo nomen fuiſſe, dicet ipſe Epiſt. 1. lib. VIII. Et Encolpius quidam familiariſſimus Alexādro Severo. de quo Lampridius. Vt taceam de Petroniano.

EPIGR. XXXIV.

A Chione ſaltem, vel ab Helide diſce pudorem.

Ab Helide] Vitium veterum librariorum, quod & & in Inſcriptionibus extat. Quomodo hîc *Helis*, ſic in iis *Helpis*, non ſemel; cùm tamen leni ſpiritu Græcè ſint ἦλις, ἐλπίς. Similia alia ſcalptorū quadratariorum vitia in ſaxis antiquis non pauca. Vide Indicem Grammaticum ad Inſcriptiones Gruteri. Hîc in *Helide* ſuperflua eſt *H* litera, ſcribendumque *Elide*. Sed in Palatino optimo eſt *Lade*. an *Ledâ* fuit? Hæc inter proſtibula ævo Martialis. Lib. XI. Epigr. LXII.

Quem quum feneſtrâ vidit è Suburranâ
Obſcœna nudum Leda, fornicem clufit.

Cuius, ut & Chionis, etiam alibi meminit. In vet. Inſcriptione eſt, AEMILIA LADE, pag. CIƆCXXX, 5.

EPIGR. XLI.

Qui Galbam ſalibus tuis, & ipſum
Poſſes vincere Seſtium Caballum.

Imò *Poſſis*. id eſt, qui te putes poſſe vincere, ſiquidem tibi glorioſulo credimus. Non enim *Poſſes vincere*, hîc valet *vinces*; quâ phraſi alibi in Taurum dixit,

Dum quid ſis dubitas, iam potes eſſe nihil.

Quod Gulielmo Cantero obſervatum Novar. Lection. lib. II. cap. II. ubi elegans vocabuli *poſſum* uſus aliquot exemplis explicatur. Falsò Ramireſius

reſius Galbam & Seſtium Caballum, negat urbanos fuiſſe. Imò, tam glorioſum dicit Cæcilium, ut putaret ſe iocis ſuis & urbanitatibus Galbam Seſtiumque ſuperare. Hi duo nobiles ſcurræ fuerunt.

EPIGR. XLVI.

Cùm dicis, propero, fac, ſi facis; *Ædile, languet.*

Non aliter & hîc & alibi (Lib. IV. Epigr. LII) hoc nomen excuſum eſt: ſed perperam. Legendum enim *Hedyle.* quemadmodum rectè lib. IX. Epigr. LVII.

Nil eſt tritius Hedyli lacernis.

Ἡδύλος, quo nomine poëta quidã Epigrãmatarius Athenæo bis laudatur, apud Martialem eſt mollis ac pathici nomen fictũ. Ferendus hîc non eſt Iuvenis Hiſpanus, cùm *Ædilam* præfert, negetque hoc Epigramma ullâ ratione viro poſſe accomodari. Atqui, mi homo, ſi non viro, ſaltem puero. quod eſt veriſſimum. Deinde τὸ *Ædila*, Latinum non eſt. Nec opus pluribus ad errorem illum convincendum.

Quæ verò invidia, an furor? præſtantiſsimam & prorſus incomparabilem, Gruterianam Martialis editionem, (ignoſcatur aliquot Operarum ſphalmatis) vocare inaniter glorioſam? Stolida hæc & puerilis inſultatio, meritò exſibilanda. Profectò merebatur tuus iſte inſolens faſtus, ô puer, vehementi quadam atque acerbâ caſtigatione. Sed ſatis ſuperque paſsim traductus à Radero, commonitusque à Muſambertio, habes unde medicinam morbo tuo petas, atque arrogantiæ deſinas.

EPIGR. XLVIII.

Quodque magis mirum, velocior exit ab hoſte,
Nec nihil à tantâ nobilitate refert.

Ita quidem Gruterus noſter, ſuadentibus MSS. & excuſis Editionibus. Mihi adblanditur, levicula mutatione;

Nec nihil à tantâ mobilitate refert.

Multam, inquit, magnamque mercedem reportat, lepus à tanta iſta agilitate ſua, qua etiam Leoni ſe probat.

probat. Quid autem refert? ut ſecuriſsimus ſit, nec vix tutior in cavea abditus; aut in arena cùm ſolus currit, non admiſsis canibus. Leonem non ut hoſtē timet, ſed ad illum tanquam vindicem, ſi opus eſt, confugit. Notandū porrò, colligi ex hoc Epigrammate, leones à manſuetariis ita cicurari ac domari ſolitos, ut parcerent quidem minoribus beſtiis, & iiſcum laſciviuſculè luderent: tauros verò ac iuvencos in arenam miſſos invaderent reverſa feritate, & frangerent. Hoc enim videtur ſubindicare initio:

Rictibus his tauros non eripuêre magiſtri,
Per quos præda fugax itque reditque lepus.

Et mox Epigrammate LI. in eundem leporem:

Non facit ad ſævos cervix niſi prima leones:
Quid fugis hos dentes ambitioſe lepus?
Scilicet à magnis ad te deſcendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint! &c.

Coniunge his cùm LX. Epigr. CIV. & recurre ad Epigr. XXII. Quæ omnia eò ſpectant, & eiuſdem argument. ſunt: ut alia diſsimulemus. Sed Epig. XXII. quod proximè indicavimus, verſu primo:

Quid nunc ſæva fugis placidi lepus ora leonis?

quæ doctorum coniecturæ eſſent, ſuo loco annotavimus. Dicemus hîc, nihil temerè mutandum videri. Vaſtos leonis (quamquam cicuris & manſuefacti) rictus, *ſæva ora* appellat. Quid nunc fugis lepus leonem animal crudele aliis & ſævum, tibi mite ac placidum futurum? Nihil periculi eſt: impunè vagaberis: ludes in ore eius illæſus. Quid mirum? eſt Cæſaris leo, qui cui ſerviat, probè novit: quo nomine laudatur Epigr. CIV. E fortè idem eſt quem titulo *Manſueti leonis* celebrat Statius, conſcripto epigrammatis loco in mortem eius eleganti Epicedio, Silvar. lib. II. Eclog. V. Martialis de eodem Epigr. XIV. ad Cæſarem:

Unde poteſt avidus capta leo parcere præda?
Sed tamen eſſe tuus dicitur: ergo poteſt.

Adulatur ſolens Domitiano.

EPIG.

EPIGR. XLIX.

Videbis altam, Liciniane, Bilbilim.

Perperam truncatum nomen hactenus, *Licianus* pro *Licinianus*. Sic ubique ſcribendum. Cùm eodem hoc Carmine dicat auctor;

Dum Sura laudatur tuus,

puto hunc *Licinianum*, ita ab *Licinio Surâ* (ad quem exſtat Epigr. XLVII. lib. VII) amicóne an patrono? nuncupatum. Sic Iunius Gracchanus, Plinio laudatus ſcriptor, ab amicitiâ C. Gracchi appellatus. Natural. Hiſtor. lib. XXIII. cap. II. ubi de equitibus Troſſulis Iunii huius Gracchani fragmentum. Sic aliis multis acquiſita nomina, teſtatiſſimum.

Ibidem.

Subiungitur ſtatim præcedenti verſui de Bilbili:

Equis & armis nobilem.

Commentator Hiſpanus malè meretur de ſuâ Bilbili, qui *Equis* in *Aquis* mutat. quamquam conterraneos alios auctores habeat non contemnendos, quibus diu antè illum natum, ſic videbatur emendandum. De Caſpare Varrerio Ortelius monuit: & de Hieronymo Surita, teſtatus illuſtris vir Antonius Auguſtinus Dialog. III. Antiq. Numiſmatum. Quod & ipſemet Surita poſtea indicavit ad Itinerarium Antonini. Nec accuratiſſimum Schottum fugit. Sed errant omnes, mea ſententia. Neque enim (quæ ipſorum nota eſt) equorum præſtantiâ Celtiberia, ſed armis, ut Trogi Pompei auctoritate docet Plinius, olim commendata. Hiſpanias tamen alere equos optimos, multorum auctorum teſtimonio comprobatum eſt. Quò & ire vidētur Nummi antiqui equo currente ſpectabiles, adſcripto municipio aut coloniâ Hiſpaniæ. Quid quod (pace nobiliſſimorū virorū dictū ſit) emendatio *Aquis*, vix Latina eſt. Nā *aquis nobilis* urbs dicitur, quæ multas ſcaturigines aquarū habet, non quæ unū fluvium; qualis Bilbilis. quæ hodie *Calataiud* putatur. cuius fluvius Salo à Plinio (lib.

(lib. xxxiv. cap. xiii.) & Martiale prædicatus, armis ferroque temperando aptiſſimus. Sed propter Salonem *aquis nobilem* rectè dici Bilbilim, non videbitur eruditis auribus, & maiorum gentium Criticis, qui quid ſit Latinè loqui, intelligunt. Alioquin omnes urbes, quæ fluvium tantùm, nullum autem fontem habent, dicerentur *aquis nobiles*. Quod eſt tã ineptũ, quàm falſum. Multæ enim urbes ſunt, in quibus neque puteus, neq; fons, quas tamẽ flumẽ alluit. Quòd ſi *Aquis* legendum ſit, & huc traherent fideliores libri, ego arbitrarer propter *Aquas Bilbilitanas*, quarum mentio in Itinerario Antonini, quæ à Mauris *Alhame* dictæ ſunt, *aquis nobilem* Bilbilim potuiſſe dici. Indigenæ & peritiores viderint: equidem nihil hîc mutandũ cenſeo. Cæterùm teſtatur idem Antonius Auguſtinus, galeis & caſſidibus populares ſuos è *Calataiud* aliisq; cudendis armis ferri optimi etiãnunc excellere, veteremque famã retinere. Verùm enimverò Surita, non patitur æquo animo *Calataiud*, municipium humili loco ſitum, veterem Bilbilim, Martialis patriam, nuncupari; ſed in proximo monte *Bambola* collocat, qui & veteris urbis nomen videtur ſervare, veſtigiaque ac rudera oppidi perantiqui. Bilbilitanos monti impoſitos fuiſſe, nullum eſt dubium: Vide ad lib. x. Epigramma penultimum:

Municipes, Auguſta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis.

Amore Poëtæ noſtri, & Auguſti eius ſoli natalis, longius fortaſſe-an, quàm par erat, provecti ſumus, atque exſpatiati. Quare quæ huc ſpectant alia, pete Animadverſionum noſtrarũ libro x. extremo.

EPIGR. LIII.

Sic interpoſitus vitio contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Exploſa hac lectione Turnebi, quam Cl. Gruterum ſecutum

ſecutum video, ex bonis libris veteribus reſtituendum eſt:

Sic interpoſito vilis contaminat unco.

Et ſic omnino editum oportuit, præeuntibus *MSS.* optimis, & caſtigatiſſimis quibuſque Editionibus. Bardocullus acutus & faſtigiatus erat in metam: quales erant cuculli vetuſtiſſimorum monachorum; hodieque ſunt Carthuſianorum & Capucinorum. Sed quia erant longiores, non recti ſtabant, ſed inflectebantur, uti quoque vulgo videre eſt in pileolis nautarum, aliorumque hominum vilium. Quem uncum etiam ſuperbiores elegantiæ cauſa affectant, muccinio aliaque qua re in metæ vertice recondita. Adde & quòd ſponte ſua eiuſmodi pileoli inflectantur, quũ pluvio cœlo iis tecti in publicum procedunt. Ab eo igitur quòd incurvarentur bardocuculli, flexũ illũ, *uncum* videtur appellare Martialis. Reverâ enim uncantur, quum ita inflectuntur. Sic igitur, inquit, homo tectus bardocucullo purpuratis immixtus deridetur, quãdo ſcilicet uncus ille aut flexus riſum ſpectantibus movet. Romæ apud Alberinos in marmore Mater Deûm Cybele viſitur cum Atti ſuo, & ornamentis aliis. Attis ibi tiara hunc vncum facit, quem intelligit Martialis. Luculentum illud marmor depinxit nobis diligentiſsimus Ian. Iac. Boiſſardus in Antiquitatibus Romanis. Vide. Et hoc eſt quod Servius ſcribit ad divini operis lib. IV. hoc loco:

Mæoniâ mentum mitrâ crinemque madentem
Subnixus ————

MITRA] *hoc eſt incurvo pileo, de quo pendebat buccarum tegmen.* Pileum incurvum vocat, propter uncum, quem facit. In Gorlæi Dactyliothecâ, numero 156, annulus aureus ſpectatur cum gemmâ onyche, cui inciſum caput pileatum cum unco in vertice: eodem prorſus modo, quo in marmore Romano Attim depictum eſſe dixi. quem quid vetat ſuſpicari hac gemma etiam expreſſum? non abnuit facies, & Amaltheæ cornu quod manu præfert. Studioſi eam gemmam cum marmore comparabunt. Memini etiam hunc uncum obſervaſſe,

cùm

cùm alibi in Antiquitatis monimentis apud Boiſſardum, tùm in Columnâ Antoninianâ; cuius exactam & quantivis pretii delineationem, viginti ulnarum longitudine, nobiſcum antè aliquot annos, maximi ingenii vir & raræ eruditionis, Ianus meus à VVouWeren, Româ redux, communicavit. Quod præſtantiſſimum & luculentiſsimum in totâ Antiquitate monimentum, utinam tabellis æneis fideliter inciſum communi bono tandem aliquando publicetur, doctiſsimorum hominum divinationibus & commentariis illuſtrandum! Sed quis hodie Scaligero, Lipſio, Caſaubono, & Velſero (quantis, Dî boni, viris!) defunctis, tantæ eruditionis aut ſpiritus, qui Spartam hanc dignè exornare poſsit? Poſſes tu veterane Schotte, poſſes eruditiſsime Grutere, poſſes tu Pignori.

Ad Boiſſardum ſupra cùm lectorem relego; meminerit, loca, quæ innuo, exſtare Tom. penult. Tabula XXXIV. & Tom. ult. Tab. LI. ubi ſupernè in tympano cuiuſdam monimēti ſpectatur iſte uncus, quem in pileis & bardocucullis deſcripſimus.

Sic interpoſito vilis contaminat unco.

Caſtigandus (inquam) ad hunc modum Martialis, ex fide vett. libb. Sic diſertè in aliquot MSS. & Edd. Et ſic, ſi rectè memini, Editio princeps. Typographi mentem meam aut manum non aſſecutâ ſunt.

Ibidem.

Sic ubi multiſonâ fervet ſacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas.

Hæc vera lectio, quam præferunt Codices incorrupti. In aliis eſt, *effundit*. Placet viris doctis, *affundit*, aut *offundit*; uti aliàs legitur. Quid? pica ne effundit Cecropias querelas? imò, Hercules, luſcinia. Quare *offendit* legendum, quomodo habent veteres de meliore notâ Scripti. Quemadmodū, inquit, bardocucullus immixtus purpuratis contaminat ſplendorem purpuræ, ita pica interveniens offendit & turbat incondito ſtrepitu ſuo cantum luſciniæ. obſtrepit pica luſciniæ. Hæc, inquam, vera & indubitata,

lectio eſt. Rutgerſius noſter, eâdem mente, putabat *obtundit* legendum, ex illo *offundit*.

EPIGR. LV.

Hoc petit, eſſe ſui nec magni ruris arator.
Sordidaque in parvis otia rebus amat.

Suſpéctus hic de mendo locus. Fruſtra. nulla eſt obſcuritas. *in parvis rebus*, Helleniſmus : ἐπ' ὀλίγων χρημάτων. Vt hic *ſordida otia*, ſic lib. x. Epig. xcvi. dixit *rura ſordida*:

Et repetam patriæ ſordida rura caſæ.

Nec Poëtæ aliter loquuntur. Seneca Hercule furente:

Humilique loco, ſed certa, ſedet
Sordida parvæ fortuna domus.

Ibidem.

Vivat & urbanis albus in officijs.

Ridiculus, eſt in enarratione ad hunc locum Domitius, cùm exponit *albus, ſollicitus & anxius*. Æque ioculare eſt, quod Ramireſius reponit, & *albus* interpretatur *in umbrâ & otio degens*, tanquam ironicè dictum. Nugatur, cùm omnino contrariam efficiat ſententiam. Nam qui ſunt in officiis urbanis, ij ſunt qui togati portant matutinum Ave. hoc enim vocatur *officium* apud Martialem. Qui autem de nocte ſurgunt & totum mane per omnes Vrbis vicos diſcurrunt ad ſalutandos proceres, quomodo poſſunt dici otioſi, & umbratici? Ridiculum. *Albus*, hîc eſt *albatus*, hoc eſt togatus. Vt Horatio *prætexta fabula*, pro *prætextatis* : *lege maritâ*, pro *maritali*. Quare Muſambertius meritò in hanc ἀδιαφορίαν Thraſonis Hiſpani invectus eſt, qui optimè locum intellexit. Ita ut miter Florilegum nuperum ad Domitii pus & vomitum rediiſſe.

EPIGR. LXI.

Ad Licinianum, in lemmate, & infra in Epigrammate *Liciniane* ſcribendum erat. Vide ad Epigr. XLIX.

EPIGR. LXV.

Dicemus ficus, *quas ſcimus in arbore naſci*:
Dicemus ficos, *Cæciliane, tuos.*

Vltimus

Vltimus hic verſus à nemine præterquàm à Ranireſio(de ſe ſi creditur ipſi) eſt intellectus. Vide, odes, ventoſum Hypomnema, & ride. Corrumpit leporem Epigrammatis, dum verba corrumpit: & pro *ficos* legendum præcipit *ficus*. Atqui Martialis eſpódet ad id, quod præcipiebat Cæcilianus Grammatiſta: nimirum non *ficus* ſed *ficos* dicendum eſſe. Martialis concedit, ita ut dicendum ſit *ficus* de fructu; *ficos* de illis quos Cæcilianus in podice habebat. ertè hæc mens eſt Martialis. Et ab hac lectione ſtant eteres Grãmatici, Cariſius Soſipater & Priſcianus; ic lib. VII. ille duobus locis, lib. I. Videátur: & adibeatur Commentarius Raderi, qui fuſè Grammaticas ſuper hoc loco obſervationes expendit, & diſtringit.

EPIGR. LXVI.

Scriptura quanti conſtet, & tomus vilis.

l eſt, atramentum, ſive deſcribendi labor, quanti nſtet & charta. Nam ſi, ut vulgò loquimur, *Tomus* pro ingentis operis parte ſumatur, id non conbit vili, quod innuit Martialis, ſed magno. *Tomus* im, ut hodie accipitur, eſt magna pars magni ope-. Ridiculus eſt Commentator Hiſpanus, qui *Tomum* heic cum vulgo accipit. Nugæ. *Tomus*, quod xi, nihil aliud eſt quàm charta. In Conciliis (Toano XII. & XIII.) apud Cyrillum, & Laërtium Antiſthene, τόμος id ſignificat. Vetus Gloſſophus: *Scapi*, κανόνες χερδιχκοὶ, καὶ χάρτου τόμοι. m: *Scapus*, τόμος βιβλίων, χάρτης: Belgice, een eck papier.

Ibidem.

Quæ trita duro non inhorruit mento.

arta virgo, quæ nondum recitata aut lecta, lonuſu barbam edidit, horridiorque facta eſt. Viſe Epigr. XCIII. lib. X.

Ut roſa delectat metitur quæ pollice primo.
Sic nova, nec mento ſordida charta iuvat.

 Ridicu-

Ridiculus etiam hîc Commentator Hiſpanus : qui Calderinum legit, & optimè interpretantem non ſecutus eſt. Muſambertius, qui Hypomnemata eius refutanda ſuſcepit, commentum repoſuit, quo nullum alius comminiſci poteſt frigidius.

Ibidem.

Mercare tales habeo, nec ſciet quiſquam.

Ita de coniecturâ ante annos ipſos quindecim repoſuimus. quæ veriſsima nobis lectio viſa eſt: nec cuius etiam nunc nos pœnitet. Addita eſt à nobis adſpiratio *h.* cùm Editiones paſsim haberent,

Mercare tales ab eo, nec ſciet quiſquam.

Gruterus noſter edidit,

Mercare tales adeo; nec ſciet quiſquam.

Quòd ita legendum videretur Meliſſo, poſtulante lege verſus. Nos ei coniecturæ noſtrã ſupponere non dubitavimus: & vix aliam luculentiorem à nobis excogitari poſſe deſperamus. Quid, quòd & eam ſcripturã ita prorſus in membranis exſtare, oculatâ fide teſtari poſſumus: adſtipulante M S. Clariſsimi Puteani Codice, de quo retulit doctiſsimus Heraldus in Curis ſecundis: qui interpungit,

Mercare tales; habeo, nec ſciet quiſquam.

Vide ibi. A nobiliſsimo Douſa etiam annotatum ad oram ſui libri, MS. Roelandii codicem *Habeo* habere. Vnde tamen ille ſuſpicatus aliquando legendũ *Labeo*, pro furis ac plagiarii nomine, in quem Epigramma iſtud & cuius cauſſa ſcriptum.

EPIGR. LXVIII.

Naevia lux, inquit; Naevia lumen ave.

Præferendum hoc omnino vulgato fuit, *numen ave.* Amantium blanditiæ atque aſſentatiunculæ, *lumen* & alia talia. Alibi:

Nam cùm me murem, cùm me tua lumina dicis.

Lib. XI. Epigr. XXX.

EPIGR. LXXI.

NAEVIA *ſex cyathis, ſeptem* IVSTINA *bibatur.*
Quod Clariſsimus Gruterus notat, ſe in Codice Bõgarſiano (ſeu potius Cuiaciano) reperiſſe *qualathis* pro

pro *cyathis*; idem & nos in membranis *MSS.* quibuſdam offendimus. quare *calathis* edi curavimus, eiecto illo *cyathis*. Pro calicibus etiam Maro *calathos* uſurpat, Ecloga v.

Vina novum fundam calathis Arviſia nectar.

Vide ibi *S*ervium. Alia ſignificatione Ecloga I, & Georgicorũ III. Iuvenalis Sat. II. aliique Auctores. *S*i tanti erunt, adeantur Lexicographi & Vocabularii: quorum ſcrinia non compilo. Cæterùm, bibiſſe veteres ad numerum literarum, quas amicorum amicarumque nomina ferebant, ut Plautum & alios non attingam, vel ſolus Martialis docet, moremque aliquot locis inculcat: & nos ad Epigr. LI. lib. VIII.

Det numerum cyathis INSTANTI *littera* RVFI:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.

EPIGR. LXXVI.

Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ.
Hæc ſapit, hæc omnis fœnerat una Deos.

Hæc Edd. omnium, quotquot exſtant, lectio: nec abeunt MSS. Tamen *βαρβαρίζει*, ſi Scaligero in ſchedâ apud me ſic cenſenti credimus, & corrigẽti *Deis*. *S*ed quid hoc? non aſſequor, non capio; nec revelat ipſe. Quòd referendum tunc ſit profectò non video *τὸ omnis*? Vulgatæ itaque adhæreamus: quamquam novè dictum, *arca Minervæ fœnerat Deos*. Domitius interpretatur: *Adeo dives eſt, ut poſſit dare nummos in fœnus omnibus Diis*. Eademque chorda oberrant Perottus & Raderus; ſtrenuè interim tacẽte Ramireſio. Mihi videtur *fœnerat*, pro *defœnerat* ſive fœnere exhaurit ac trucidat (ut Cicero loquitur) accipiẽdum. PſeudoHegeſippus (qui in vetuſto MS. Gloſſographo in voce *Defœnero*, Ambroſius in Hegeſippo citatur) De bello Iudaico & excidio Hieroſolymitano, li. I. cap. XXXII. *Antonius* (inquit) *Cleopatræ amori defœneratus inſerviebat, atque addictus eius libidini famulabatur*. Hegeſippus hic eſt ſuppoſititius, & infimæ planè vetuſtatis ſcriptor, qui non contentus verbis Ioſephi, ut videatur aliquid novi adferre, ſæpè nobis ſincerum vas incruſtat: quod magni Scaligeri in

Animadverſionibus *Euſebianis* de eo iudicium eſt. Hîc quæ Ioſephus De bello Iudaico lib. I. cap. X. quàm breviſſimè extulit, Ἀντώνιον ἤδη τῷ Κλεοπάτρας ἔρωτι δεδουλωμένον: & Antiquitatum Iudaicarum lib. XIV. Cap. XXIII. Κλεοπάτρα δὲ ἔρωτος Ἀντώνιον ἐνεχείρετο. Quibus locis ſignificatur, *Antonium amori Cleopatræ ſervientem, atq; implicitum;* Pſeudo. Hegeſippus pluribus retulit. Hoc vult. Cleopatram fœneraſſe Antonii animum, ac totum poſſediſſe. Sic *Martialis* dicit defœneratos omnes Deos à Minervâ: omnes Dei Deæque, exceptâ unâ Minervâ, ſunt pauperes: omnia ſua oppignerarunt, divite ſolâ ac fœneratrice *Minervâ*. Omnes, inquit, eruditi, Poëtæ atque artifices tenui cenſu ſunt ac ſacculo aranearum pleno: At qui totos dies dant *Minervæ* ac Iuridicinæ, cauſasq; in foro actitant, re ſplendidâ ſunt, atque imprimis opulenti. *S*uadet Martialis Valerio Flacco ſuo (celebri Argonauticorum poëtæ) ut relictis inutilibus Muſis, forum longè quæſtuoſius, quodq; nummos ubertim ſuppeditet, tandē aliquando ſectetur, remq; augeat.

Præter aquas Helicon & ſerta lyraſque Dearum
Nil habet, & magnum ſed perinane ſophos.
Illic æra ſonant, nummos habet arca Minervæ.

Vel *Minerva foenerat Deos* fortaſſean eſt, Cauſidici Iudicesve, & qui in foro verſantur, quæcunque optant ferunt: iuxta illud Petronianum in *S*atyrico: *Rogo inquam, expiare manus pretio licet, ſi vos provocaſſem, etiamſi homicidium feciſſem? Ecce duos aureos pono, unde poſſitis & Deos & anſeres emere.*

Quisquis habet nummos, ſecurâ naviget aurâ,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaën, ipſumque licebit
Acriſium iubeat credere, quod Danaën.
Carmina componat, declamet, concrepet omneis
Et peragat cauſſas, ſitque Catone prior.
Iuriſconſultus PARET, NON PARET; *habeto,*
Atque eſto quidquid Servius & Labeo.
Parva loquor, quidvis nummis præſentibus opta,
Eveniet. clauſum poſſidet arca Iovem.

Prolixior ſum, (fateor) quàm Notarum ratio exigit:

exigit; attamē non poſſū me continere, quin feſtiviſſimum Menandri Comici locum hìc apponam Græcè, eundemq́ue numeris Latinis à Rutgerſio noſtro feliciſſimè redditum.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ, περὶ Θεῶν: ſive, ἔπαινος τοῦ Πλούτου.

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς Θεοὺς εἶναι λέγει
Ἥλιον, ἀνέμους, γῆν, πῦρ, ὕδωρ τε, καὶ ἀστέρας.
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι Θεοὺς
Τ' ἀργύριον ἡμῶν καὶ τὸ χρυσίον μόνον.
Ἱδρυσάμενος τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν,
Εὔξαι ὅτι βούλει, πάντα σοι γενήσεται·
Ἀγρὸς, οἰκία, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες· μόνον δίδου.
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς ὑπηρέτας Θεούς.

MENANDER, de Diis: ſive, Divitiarum laus.

Epicharmus eſſe dicit hos quidem Deos,
Solem atque Ventos, Terram, Aquā, Ignē, Sidera.
Ego eſſe Divos utileis exiſtimo
Argentum & Aurum quiſque quod poſſederit:
Illos in æde nam ſimul locaveris,
Optato quidvis, quidquid optâris feres,
Servos, domosque, iudices tantùm dato,
Ipſos habebis & Deos obnoxios.

Extat elegantiſſimum fragmentum apud Stobæum, Sermone qui Πλούτου ἔπαινος inſcribitur, atque etiam in Commiſſione Sententiarum Menandri & Philiſtionis, ſive potius Philemonis, quod doctiſſimi viri nuper animadverterunt, & veriſſimum eſt.

Ibidem.

——*magnum, ſed perinane ſophos.*

Recte, nec aliter legit ſuo ævo Perottus, cuius Scholion eandem lectionem aſſerit: PERINANE. *nullius utilitatis. Nihil enim hinc habemus, præter aquæ potum & corollas & cantus; cùm à Pallade & oleum habeamus & nummos.*

Ibidem.

Quid tibi cum Cirrhâ? quid cum Permeſſidos undâ?

Peccavi, quòd non reſcripſerim, *Permeſſide nudâ?* ex fide *M.* S. Palatini, & ſuaſu Clariſſimi Gruteri:

præterea veliſicante aurâ optimi Codicis noſtri. Ita, quantum potes, repone.

EPIGR. LXXVIII.

Sanctam Romanâ vitam ſed morte peregit,
Dimiſitque animam nobilere rogo.

Malim cum Anglicano Iunii, & noſtris aliquot ſcriptis:

Dimiſitque animam nobiliore viâ.

Ferro, inquit, ſibi mortem conſcivit, & Heroicè oppetiit: non veneno, non inediâ. Lucanus lib. III. verſ. 642.

——————nullius vita peremti
Eſt tantâ dimiſſa viâ: ———

Id eſt, tam amplo vulnere. Vetus Epigramma de Catone, in Catalectis:

Altiùs inſeruit digitos, quà ſpiritus ingens
Exiret, magnum dextera fecit iter.

EPIGR. LXXXI.

E ſervo ſcis te genitum, blandeque fateris,
Cùm dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Obſcurum Epigramma, & hactenus non intellectû ſic illuſtrat Ramireſius. Solebant vel per irriſionem, vel per blanditias ſervi à dominis *Domini* vocari: Igitur Soſibianus, quum patrem ſuum audiret à cõmuni domino appellari *Dominum*, eodem nomine ipſum patrem vocabat, & ſic blande fatebatur patrem ſuum eſſe ſervum. Hæc ille. Quid multis? cucurbitas pingit. Ego verò grandius ſecretum ſuſpicor. Vivente patre Soſibiani, ſervus eius ſuſpectus erat de conſuetudine ſtupri cum hera ſua; adeo ut populus crederet Soſibianum nothum atq; ex ſervo ipſo conceptum. Non eſt, inquit Martialis, quod in dubium revocemus id, quod omnes hactenus ſuſpicati ſunt, te è ſervo tuo domeſtico genitû. Id enim blandè fateris, quum ipſum ſervum illum vocas *dominum*, qui revera tuus pater eſt. Nam Domini ludendo ſæpenumerò ſervos ſuos *Dominos* vocabant. Martialis lib. V. Epigr. LVII.

Cùm

Cùm voce te Dominum, noli tibi Cinna placere.
Sæpè etiam ſervum ſic reſaluto meum.

De blanda illa ſervorum & obviorum quorumvis appellatione, quum videlicet nomen non ſuccurreret, plura ſummus vir I. Lipſius ad Annalem 11 Taciti, aliique alibi, & nos infra quædam. Sed, num meliùs erit huic loco, ſi legamus *E ſervâ*, non *ſervo*? Sic Iacobum Lectium, lectiſsimi ingenii & iudicii virum, emendare accepi. Idemque videri Theodoro Veſelio Bezæ, per literas mihi ſignificavit Melchior Goldaſtus. Legendum, inquit, *E ſerva*. ut ſit ſenſus: Quare patrem tuum vocas Dominum, an quia te progenuit ex ancilla? &c. Hoc Epigramma nec Cuiacius, nec Mercerus, nec alius quiſquam poterat explicare. Valdè ſibi probari hanc emendationem annuit Beza, deambulans aliquando cum Goldaſto in Palatio Genevenſi. Iactabat fortè hic Soſibianus ſe equeſtri loco natum: ex Quirinalis nempe ſanguine & proſapia. De quo mox Epigr. LXXXIV.

Uxorem habendam non putat Quirinalis,
Cùm vult habere filios: & invenit
Quo poſsit iſtud more. futuit ancillas,
Domumque & agros implet equitibus vernis.
Paterfamilias verus eſt Quirinalis.

Andreas Dounæus Anglus laudat ad hunc modum:

Tu ſervum ſcis te genitum, blandeque fateris.

Vide B. Chryſoſtomi Opera ex Editione ſplendidiſſimi Herois Henrici Savilii, Not. in Epiſtolas Paulinas, cap. v. ad Galat.

EPIGR. LXXXII.

Hac qua pulvere diſsipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet abſoluta caſu!

Malim, *Heu quanto*. Nempè exaratum fuit, *Eu q.* Simile mendum ſuſtuli Animadverſionum lib. VI. Epigrammate LXXXV.

Editur (heu) ſextus, ſine te mihi, Rufe Camoni.

Vbi caſtigatiſsimæ Editiones, *Editur en ſextus*. Ab eadem

dem maculâ liberandus Seneca Tragicus, & non pauci alii Scriptores. De quibus aliâs fortaſſe videbimus.

Heu quanto iacet abſoluta caſu!

Supra Epigr. XII. de repentinâ eiuſdem porticus ruinâ,

Heu, quàm penè novum porticus auſa nefas!

Sed hoc loco plerique Codices ſcripti, & quædam editiones, Perotti, & cett. non habent *En quanto*, ſed *In tanto*. An reſtituendum?

Vitato iacet abſoluta caſu.

De porticu, quæ cùm eam paulò antè tranſiiſſet Regulus, ſalvo domino ſtatim à diſceſſu eius concidit: *abſoluta*, innocens, non culpæ rea, cùm ſic corruit innoxio lapſu: quaſi vitaſſe ac ſedulò caviſſe videatur ne periculum domino caſumque internecinum illo ſuo caſu crearet, & ſe magno crimini implicaret. Sed quid argutantur? quibus τὸ *abſoluta*, pro diſſoluta, ſeu in varias partes diſpreta divulſaque poſitum videtur. Subdit enim:

Et poſtquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.

Non tamen diſplicet, *En tanto iacet abſoluta caſu!*

Ibidem.

Tanta, Regule, poſt metum querela,
Quis curam negat eſſe te Deorum?

Amiciſſimus Rutgerſius corrigebat:

Tuta, Regule, poſt metum querela.

Hoc ſenſu: Queri de ruinâ poterat. ſed tutò: nam evaſerat Regulus. Mihi nihil mutandum videtur. Simile hoc illi eſt, quod de eâdem ruinâ Epigr. XII.

Nimirum timuit noſtras Fortuna querelas,
Quæ par tam magna non erat invidia.

Nam ſi non evaſiſſet Regulus, & collabente illâ porticu extinctus fuiſſet; quis non deploraſſet hunc horribilem caſum: quis non Deos accuſaſſet, crimēque hoc tam grande, tamque atrocem iniuriam

cis

eis non exprobraſſet ſævis ac minacibus dictis? Non pares fuiſſent Dei tantarum querelarum: non potuiſſent ſuſtinere diras & convicia mœrentium amicorum. Præ metu itaque Superi ſalvum atque incolumem à geſtatione Regulum tranſmiſerunt, ſeque invidiâ exonerarunt & odio, quod in animis hominum è morte Reguli conceptum fuiſſet. Iam Deos mortalium invidiam timere & querelas, Poëtarum exemplis aliquot firmabo. Statius Sylvar. lib. III. Eclog. ult. ad Claudiam uxorem:

Qualem te nuper Stygias propè raptus ad undas,
Cùm iam Lethæos audirem cominùs amnes,
Aſpexi, tenuique oculos iam morte cadentes.
Scilicet exhauſti Lacheſis mihi tempora fati
Te tantùm miſerata dedit, Superique potentes
Invidiam timuêre tuam. ————

Idem lib. V. Eclog. I.

Sed cùm plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Nigra domus queſtu, tunc flere & ſcindere veſtes,
Fataque, & iniuſtos rabidis pulſare querelis
Cælicolas, ſolamen erat. ————

Item Eclog. ult. eiuſdem libri:

———— ———— *nonne horridus ipſos*
Invidiâ Superos, iniuſtaque Tartara pulſem?

Lucanus lib. II. verſ. 36.

———— *& nullis deſuit aris*
Invidiam factura parens. Dis videlicet.

Ipſe Martialis lib. IX. Epigr. LXXXVI.

Numina cùm videas duris obnoxia fatis,
Invidiâ poſſis exonerare Deos.

Alibi mors, neſcio cuius, ipſi *grande Fati crimen*: & ſimilia. Solebant Ethnici in rebus afflictis negare providentiam Deorum, & impiè eos proſcindere. Pleni ſunt Poëtarum libri, & Theologorum qui adverſus Gentes ſcripſerunt.

EPIG. LXXXV.

Quæ ratio eſt igitur? ſervos ubi perdidit omnes.

Placet unicè quod in tribus MSS. inveni,

———— *ſervos ibi perdidit omnes.*

EPIGR.

EPIGR. LXXXVI.

Huius Epigrammatis lemma, *De Novio Microſpico*, multos puto eſſe qui mirentur, paucos admodum qui intelligant. Quod quamquam ab Auctore non eſſe, nobis certò perſuaſum eſt, & ſupra iam oſtendimus: tamen obiter heic excutiendum, facem allucente illuſtriſſimo Scaligero in Manilianis. Scriptum *Microſpicus* pro *Micropſychus*, μικρόψυχος, erroréne librarii, an conſuetudine? Sic in veteribus moumentis SPYCHARIO, pro PSYCHARION. Romæ, in vineâ Cardinalis Carpenſis:

CLAVDIA. SPYCHARIO

FECIT. SIBI. ET. EVTYCHO

FILIO. SVO. PIISSIMO

IMP. DOMITIANI. CAESARIS &c.

D. INSPENSATORI &c.

Gruterus ex collectaneis Smetii, Pag. IↃXCVI, 5. Hîc SPYCHARIO pro PSYCHARION inciſum. quemadmodum rectè nomen hoc in alio Lapide. Romæ, in Capitolio:

V. SVTORIA. M. L. PSYCHARIVM

LIBERTA. ET. DELICIA. C. PAMPHILI. &c.

Pag. IↃCXXXII, I. Vide in eaſdem Inſcriptiones Gruteri Indicem Grammaticum: in quo ſimilia alia exempla. Eſt autem hoc Epigramma in Novium, character hominis puſillanimi, ac ſubruſtici pudoris; qui μικροψυχίᾳ ſuâ homines veretur convenire, & uſque domi abditus latet, μισόδημος καὶ μισοπρέσβμων: ἀλογιστεῖν,

Bellerophontei referens contagia morbi.

Similiter lib. II. Epigr. LVII. in veteribus membranis lemma conceptum eſt, *De Microſpico divite*. ubi vulgati libri, *Inſictum divitem*. Vitioſè, pro *Micropſyche*.

EPIG.

EPIG. LXXXVIII.

Accipe care puer noſtri monumenta laboris.

Sic optimè libri veteres, & Scaliger Caſtigationibus Catullianis. Ramireſius, qui *doloris* pro *laboris* mordicus retinet, non intelligit mentem *M*artialis. Alcimus puer, ipſius Poëtæ dubium, an amici, conditus erat in prato in cuius ambitu buxetum, & hypampelus exculta à domino. Ideo vocat tam buxetum quàm hypampelum monumenta ſui laboris: nimirum quòd ea excoluiſſet ipſe. Profectò niſi legas *laboris*, perit omnis gratia huius verſus. Certè neque hypampelus, neque buxetum, neque pratũ poſſunt eſſe monumenta doloris, quæ quidem priùs exculta erant, quàm ibi Alcimus tumularetur. Ineptus fuit homo, qui ex *laboris* fecit *doloris*. Hypampeli autem mentio eſt in veteri Inſcriptione Tiburtinâ, cippo ſepulchrali inciſa? quam habes in maiore Ortographiâ *M*anutii, pag. XV. & in Gruterianis Collectaneis pag. DCCXI, 3. *E*am, quia eximia eſt, & propriè huc ſpectat, totam adſcribam:

VALERIA. ATHENAIS Fecit. Modiæ. T. F. Paulinæ. F Piiſſim æ. et. ſibi. ſuis. poſteriſque eorum. Vix. ANN. XIII. M. XI Hunc locum uti me viva determinavi cum aſcenſu gradum. VII. et. cippis inſcriptis VII, collig. in. circuitu. p. CCCXXX. et. ab. introitu. portæ. ſuperioris. aſcenſus. dexterioris. parte uſq. at. cippum. III. cum taberna via. lata. a. pariete. p. V. cedere debebit. et. pilas. ſtructilis. II. vſq; ad. iannam ſuperiorem. HYPANPELVS huic cedat. in. rigorem. maceriæ. et fuscarum. et. ara. in qua furcepem.

HYP-

HYPANPELVS ibi, ut vides, ſcriptum pro HYPAMPELVS. qualia menda plurima occurrunt in Saxis antiquis & Tabulis. *Eſt* autem Hypampelus trichila ex vitibus; vinea convexa & camerata, quæ ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis opacat. Quæ in fine huius Inſcriptionis leguntur de *rigore maceriæ & furcarum*, non oſcitanter prætereunda ſunt: coniunge ea cum Veterum Auctorum Commentariis de Limitibus. Nos niſi feſtinaremus, nobilem ex hoc præclaro monumento locum apud Auctores illos conſtitueremus. Sed digitum intendiſſe ad mendi cubile, nũc ſufficiat. Pergamus. Dicit Martialis, Non tibi damus, ô Alcime, monumenta laboris vani, marmoreas moles, aut pyramides; ſed monumenta laboris noſtri, viridaria, buxeta. pratum, hypampelum; quæ durabunt, & vivent perpetuo honore. An vocaſſet *perpetuum honorem*, dolorem ſuum? Nugæ, & quidem nugaciſſimæ.

Ibidem.

Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.

Ineptè de vivacitate Carminis hariolatur idem. de quo ne minima quidem mentio. Omnino Epigramma non conſtat, ſi *doloris*, non *laboris* legatur. Tota *M*artialis ſententia diſſimulabitur, ſi Ramireſium auctorem heic ſequamur. A quo temerè & iuveniliter reprehenditur magnus Scaliger. cuius, ut & Veri, ſtudio atque amore, fuſius hunc locum pertractavimus.

EPIGR. XC.

Quòd nunquam maribus iunctam te, Baſſa, videbam.

Non ſperno quod in Scriptis, etiam Cuiaciano:

Quod nunquam maribus cinctam te, Baſſa, videbam.

Sic Lib. II. Epigr. LXXIV. deſcribit:

Cinctum togatis poſt & antè Sauſeium.

Ibidem.

Ibidem.

Omne ſed officium circa te ſemper obibat
Turba tui ſexus, non adeunte viro.

Hæc vetus & vulgata lectio, conſenſu omnium Codicum probata: nec facilè invitis iis loco movenda. quod nos temerè fecimus. Elidimus, *Come ſed officium*, magno viro auctore; cui *obire omne officium* βαρβαρίζει. Idem Manilio ſuo reſtituit lib. v. ex Gemblacenſi MS.

Velocesque dabit ſub tali tempore partus,
Come per officium vigilantia membra ferentes.

Sub Equo naſci ait ſedulos & officioſos. Phædrus in Fabellis Æſopiis, lib. II. Fab. XXXVI. in ardeliones Romæ trepidè concurſantes; genus hominum ſibi moleſtum, & aliis odioſiſſimum:

Ex alti-cinctis unus atrienſibus,
Perambulante læta Domino viridaria,
Alveolo coepit ligneo conſpargere
Humum æſtuantem, iactans officium come.

Reponatur apud Martialem, *Omne ſed officium.*

EPIGR. XCII.

Cerea ſi pendet lumbis & trita lacerna.

Quid nodum in ſirpo quærimus? vetus hæc, & proba lectio. Amiciſſimus Gruterus edidit, *& ſcripta lacerna*; quam erroneam ſcripturam etiam noſter Typographus ſequutus. Non laudo factum, uti nec amici coniecturam, *ſtruta lacerna.*

EPIGR. XCIV.

Inſcriptum eſt, tituloque quod breviore leges.

Prætulimus hanc MSS. meliorum ſcripturam: Vulgo eſt,

Plus tamen eſt, titulo quod breviore legis.

EPIGR.

EPIGR. CI.

De Afro Demetrio. Ineptè τὸ *Afro* repetitum eſt ex præcedentis Epigrammatis lemmate, *De Afra vetulâ.* Eiice illud, & ſcribe *De Demetrio*: ſive, *Epitaphium Demetrij.*

EPIGR. CIX.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli.

Ridiculum eſt Commentatoris Hiſpani commentum, *Paſſerem Catulli* hîc intelligi de Epigrammate, non de ipſâ ave. Catullam (inquit) Publii non comparat Poëta cum paſſere vivo, ſed cum Epigrammate & poëmate Catulli: nam ſi de naturali paſſere loqui vellet, non Catulli ſed Lesbiæ paſſerem diceret. Hæc ille. quæ cui ſano perſuadebit?

Ibidem.

Collo nixa cubat, capitque ſomnos.

Numquam & hîc perſuadebit meliùs *nexa* quàm *nixa* legi, niſi iis qui, quid inter vanitatem Ramireſii & Martialis lepores interſit, ignorant. Rectè itaque *nixa*, non *nexa*, quod non ſolùm Modius in ſuo VVeidneriano, verùm etiam ego in aliquot meorum Codicum offendi. Et ſic vetuſtior.s omnes Editiones, utraque Aldina, & cæteræ: fruſtra, & invenuſtius vulgato.

Ibidem.

Et deſiderio coacta ventris,
Deponi monet, & rogat levari.

Apage illud *lavari*, quod obtruſêre nobis nuperi Cenſores. Inquinati ſunt Codices, qui ſic habent, quâ ſcripti, quâ cuſi. Hæc noſtra, delicata eſt & vera lectio. *Levari*, veſicam. Quid eſt clarius?

clarius? Nollem ſummum virum & amicum noſtrum hîc tam manifeſtò ἀλογιστεῖν, qui retinet *lavari*. Quod & incomparabili Parœmiographo placuiſſe olim video. Ex Veterum, inquit, monumentis deprehendes, fuiſſe morem publicum, ut poſt exoneratam alvum adhiberetur eius partis lotio, quæ tamen ſubinde erat repetenda. Martialis inter Iſſæ catellæ laudes commemorat, quòd depoſitum onus rogaret lavari. Hæc ὁ θαυμάσιος Eraſmus Adagior. Chiliad. I. Cent. x, 90. πρoκτὸς λυτοῦ προσιὼν.

Deponi monet, & rogat lavari.

Sic plerique veteres editi: ſic Aldus anno M. D. I. ſed in ſecunda Editione anni M. D. XVII. caſtigatiùs *levari*. Monet Iſſa levandam alvum, citante naturâ.

Ibidem.

Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſa.

Cùm ita eſſet in omnibus, quos ego quidē vidi, libris, tā typographicis quàm manu antiquitus exaratis: nō auſus fui ab hac lectione diſcedere, & admittere *Iſſa*, pro *ipſa*. quam lectionē Modio laudari video, depromptam ex uno Codice Io. VVeidneri, non ſanè admodum vetuſto: quippè qui Romæ anno demum CIϽCCCCLXIIX., iam inventâ Typographiâ, erat ſcriptus. Sed tamen ſic interpolandum videtur, eleganti repetitione:

Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,
Picta Publius exprimit tabellâ:
In quâ tam ſimilem videbis Iſſam,
Ut ſit tam ſimilis ſibi nec Iſſa.
Iſſam denique pone cum tabellâ:
Aut utramque putabis eſſe veram,
Aut utramque putabis eſſe pictam.

Pro *ipſa* ſcribendum *Iſſa*, putat etiam noſter Rutgerſius: & ita divinaverat literatiſſimus Richardus Thomſonus.

EPIGR. CXII.

Cum te non noſſem, dominum regemque vocabam:
Cum benè te novi, iam mihi Priſcus eris.

Iocularium acumen Hiſpani Commentatoris; cui ambiguitas in voce *Priſci.* hoc ſenſu: Non vocabo te Priſcum; ſed eris mihi priſcus, id eſt, priſcis temporibus natus: & tanquam priſci illi, qui multis ſæculis nos præceſſerunt, mihi non cognitus.

Spectatum admiſſi, riſum teneatis, amici?

Eris Priſcus, id eſt, is qui antea, non Dominus aut Rex, ut ſolebas, ignotus cùm eſſes, à me vocari, ex more, de quo Martialis, hoc loco, & lib. II. Epigr. LXVIII. Item Lib. V. Epigr. LVIII. & Lib. VI. Epigr. LXXXVIII. Viſe etiam ſupra ad Epigr. LXXXI. & alibi. Seneca Epiſt. III. *Verbo quaſi publico uſus es, & ſic illum amicum vocaſti, quomodo omnes candidatos, bonos viros dicimus; quomodo obvios, ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus.*

EPIGR. CXIV.

Et Stygias æquus fuerat pater ire ſub umbras.

Ita de conſilio Herois Scaligeri ſcripſimus. qui ad ſcripturam illam Palatini Codicis;

Et Stygias æquum fuerat pater ire ſub umbras,

eruditâ ſuâ manu hæc annotaverat. *Pater ire ſub umbras.* Quis hæc intelligit? Ego non ſanè aſſequor. Non tamen temerè eſt, quòd ita habet optimus codex. & ſanè hæc ſunt veſtigia veræ lectionis; quam in integrum reſtitueris, ſi pro *æquum* legeris *æquus.*

Et Stygias æquus fuerat pater ire ſub umbras.

Pater æquus fuerat ire, Græciſmus. Πατὴρ δίκαιος ἦν ἰέναι. Δίκαιος εἰμὶ φράσαι, δίκαιος εἰμὶ ἀπεῖν, quoties legitur apud Platonem, & alios? Ne dubitemus de bonitate huius emendationis. Hæc ille. Subodoratus etiam hîc eſt Helleniſmum doctiſſimus Heraldus. cui tamen placebat,

Et Stygias æquum fuerat prior iſſet ad umbras.

Nam Codex quidam atque etiam is ipſe, quo uſus Heraldus, hîc habent ——— *Pater iſſet ut umbras.* & alter quidam meus diſertè,

Ad Stygias aequum fuerat pater iſſet umbras.

Alias, *iret ut umbras*:

EPIGR. CXV.

Toto candidior puella cycno.

Scribe *Loto*, ex fide MSS. quomodo legendum quoque monuit Muſambertius, & de conjecturâ Rutgerſius. Cæterùm traiectionem illam verſuum, quã hoc Epigrammate Muſambertius ſomniat, nempe ut quartus ſit verſus qui nunc ordine ſextus eſt, inſulſam equidem atq; ineptam cenſeo. Ad hunc modũ.

Quandam me cupit (invide) Procille,
Loto candidior puella cycno,
Argento, nive, lilio, liguſtro.
Iam ſuſpendia ſæva cogitabis:
Sed quandam volo nocte nigriorem,
Formicâ, pice, graculo, cicadâ.
Si novi bene te, Procille vives.

EPIGR. CXVII.

Illinc me pete: ne roges Atrectum.

Clariſſimo Lipſio veniebat in mentem, *me roges*; de quo nos ante annos multos per literas monuit. Idem Rameſio, & Zinzerlingo in Promulſide Criticâ placere video. Nec deſunt Scripti, qui eandem lectionem repræſentent. Nihilominus ſervo vulgatam. Atrectus hic bibliopola fuit. Dicit, vel ex indice librorum in tabernæ antepagmento & limine conſtare poſſe, utrum apud ipſum Martialis exſtet, necne: adeo ut neceſſum non ſit convenire eo nomine atque alloqui ipſum Atrectum. Quia in poſtibus tabernæ ſcriptos videbis hinc & hinc poëtas, inter illos etiam Martialem conſpicies; ut rogandus non ſit librarius, an venalem habeat Martialem. Tantùm ab eo ſciſcitari debes, quanti liceatur. Nam in poſtibus tabernarum librariarum inſcripta erant nomina librorum, qui in alveolis ſive nidis (ut Martialis appellat) reponebantur; uti hodieque paſſim in Europa fieri videmus. Horatius:

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

Ad tabernas has librarias (Græci λέσχας voca-bant) confabulandi gratiâ honeſtiores perſonæ confluebant , ut in tonſtrinas viliores. Nota-vit ad Catullum ſuum Princeps eruditorum, Carm. XXXVIII. & LVI.

ATRECTVS viri nomen (non huius, ne erres) legitur in veteri quadam Inſcriptione.

P. SCRI-

Digitized by Google

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. II.

IN EPIST. AD DE DECIANVM.

NOLI *ergo, ſi tibi videtur, rem facere ridiculam, & in togâ ſaltanti inducere perſonam.*] Ita Gruterus noſter repoſuit, cùm vulgatos codices occuparet *togam ſaltanti inducere perſona*, quod cur tantoperè repudietur, non video. Variat quidem optimus Codex, ſed eadem manet ferè ſententia: *in togâ ſaltantem inducere perſonam*. Quod examinent alii nobis otioſiores. Interim non temerè ſpreverim.

EPIGR. IV.

Mater, quæ cupit eſſe ſe ſororem;
Nec matrem iuvat eſſe, nec ſororem.

Ne Grammaticæ ludibrium debeat Martialis, ſcribe *Matrem, quæ cupit.* &c. Quin ita legendum ſit, quis dubitet? etiamſi *M S S.* non addicerent. Niſi quis Helleniſmum volet, quemadmodum Latini ſæpè. Non inſolens ſanè Plautus Græciſſat. Aululariâ Act. IV. Sc. IV.

Picidivitijs qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero. ——

Ita rectè vetera exemplaria, & Nonii codices.

EPIGR. VI.

Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐϲχατοκώλιον, Severe.

Pertinaciamne an ſupinitatem Ramireſii hîc mirer, neſcio, an utramque? Scit Scaligerum III. Tibullianarum ἐσχατωλιον emendare, tamen vulgatam lectionem ἐσχατοκωλικὸν non mutat. Quod ego verbum nihili. fidenter expunxi. Et verò rectè Scaliger ἐσχατοκώλιον legi vult, quia in membranis *es cato collion* eſt, & quia ἐσχατοκωλικὸν non eſt Græcum. Et qui aliter legit, inſanit. Ἐσχατοκώλιον id vocatur hîc, quod libri IV. Epigrammate ultimo, *ſumma ſcheda.*

Ohe, iam ſatis eſt, ohe libelle,
Iam pervenimus uſque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc & ire quaris,
Nec ſummâ potes in ſchedâ teneri.

Horatius:
Primâ dicte mihi, ſummâ dicende camœnâ.

Ibidem.

Si totus tibi triduo legatur.

Omnino legendum *Si toto t. t. l.* videtur Cenſori Hiſpano. Fruſtra. Nihil hîc mutandum, Satagee: ſed ſupra tuum illud barbarum ἐσχατοκωλικὸν, in ἐσχατοκώλιον caſtigandum. Perſpicuus hic locus, nec opus ullo alio acumine. Niſi fortè leviculâ traiectione,
Si totus triduo tibi legatur.

Ibidem.

Nunquam delicia ſupiniores.

Aliàs *Nuſquam.* quæ lectio temeraria non eſt.

EPIGR. VII.

Nihil benè cùm facias, facis attamen omnia bellè,

MS. *facis hæc tamen*. Probè.

EIPGR. IX.

Scripſi, reſcripſit nil Navia. non dabit ergo.
Sed puto, quod ſcripſi, legerat. ergo dabit.

Veteres, *legerit*. quocirca non incommodè leges,
Si puto, quod ſcripſi, legerit; ergo dabit.
Vel,
Sed puta, quod ſcripſi, legerit: ergo dabit?

EPIGR. XVI.

Quid torus a Nilo? quid ſindone tinctus olenti?

Ante annos quindecim & quod excurrit, cùm primùm Auctorem hunc recenſerem, ſcripſi *cinctus*, quod didiciſſem antiquorum lectos, lecticas, ſellasque linteis & loris cingi ſolere atque intendi. ut Epigr. LVII.

Recensque ſella linteiſque loriſque.

Lib. XII. Epigr. XXIX.

Non timet Hermogenes medios diſcingere lectos.

Quod itaque ſic lecti cingebantur, ſcribebam *cinctus*. Sed cùm in libris ferè *tinctus* legatur; in illud pronior nunc ſum, legendumque omnino cenſeo;

Quid torus à Nilo? quid Sidone tinctus olenti?

τὸ Sidone, pro *ſindone* agnoviſſe videtur Domitius cùm *purpuram* interpretatur, & *cinctus* ſibi diſplicere admonet. Cornelius Vitellius in Vindiciis pro Domitio in Merulã, capite Annotationum XIV, reiectâ puerili & falſâ *ſindonis* interpretatione, optimè legit & interpretatur *Sidone*; cùm non de velo ſubtiliſſimo, ſed de picto & purpureo toro hìc agat Martialis. Nullum itaq; cõminiſcendum eſt ſubſtãtivũ nomẽ *Tinctus*, pro *tinctura*: neq; *cinctus* pro *cinctura*. Sed reponenda ſuo loco lectio ſupra exhibita.

De cuius veritate non dubitandum eſt. Idem mendum obſedit in hunc diem lib. XI. Epigr. I.

Quò tu, quò liber otioſe tendis,
Cultus ſindone non quotidianâ.

Oſtendemus eo loco, nos rectè correxiſſe *Cultus Sidone.*

Ibidem.

Vis fieri ſanus? ſtragula ſume mea.

Nimis hîc ſibi Ramireſius placet in Digreſſione de ſtragulâ veſte. Hiſpanica vanitas, & puerilis exultatio eſt. Nam quare *veſtis ſtragula* dicitur, ſi non erat veſtis? Atqui olim veſtimentum tam diurnum, quàm nocturnum idem erat. Varro de Vitâ populi Romani libro primo: *Præterea, quòd in lecto togas ante habebant. Ante enim illis fuit commune veſtimentum; & diurnum, & nocturnum; & muliebre, & virile.* Et apud Homerum lectis inſternuntur ſaga, ῥήγεα καλά. Ovidius Amorum I. Eleg. II.

Eſſe quid hoc dicam, quòd tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia noſtra ſedent?

Pallia vocat *ſtrata*, quæ quid ſunt præter ſtragulam veſtem? Et Propertius lib. IV. Eleg. III.

Tum queror, in toto non ſidere pallia lecto.

Et de tunicâ nocturnâ Ovidius (niſi fallor.)

Nec mora, diſiluit tunicâ velata recinctâ.

Item Martialis lib. IX. Epigr. LXII.

Tinctis murice veſtibus quòd omni
Et nocte utitur & die Philænis.

Et lib. XI. Epigr. LVII.

Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.

Vbi eadem veſtis nocturna, quæ diurna: die ſcilicet amictoria, nocte ſtragula & ſtrata ſupra lectum. Pleni ſunt Poëtarum libri. Inde factum, ut omne operimentum ſtragulum nomine *veſtis ſtragulæ* comprehendatur.

Quare perfidè & inſolenter Laurentium Vallam, proprietatis Latini ſermonis intelligentiſſimum, *audacem Grammaticum* vocat, & eius libros *inelegãtes Elegãtias*, quas tamen tu mihi vide lib. VI. ca. XLVI.

adhibi-

adhibitis in conſilium viris doctiſſimis, qui de verborum Iuris ſignificatione ſcripſerunt.

EPIGR. XIX.

Felicem fieri credis me, Zoile, cœnâ:
Felicem cœnâ, Zoile? deinde tuâ.

Sic immiſsâ interrogationis notâ reſtituendus eſt atque erigendus iacens alioqui vulgò locus, ex emendatione Hugonis Grotii, viri maximi & amiciſſimi mihi amici. Nec dubita:

Ταῦτά τοι ἐκ τρίποδος Δελφικοῦ ἐφράσατο φοῖβος.
Delficus è tripode hæc effatur carmina Phœbus.

EPIGR. XXIX.

Non heſterna ſedet lunatâ lingula plantâ.

Temerè ſudat Commẽtator Hiſpanus, ut probet hanc meliorum Codd. lectionem falſam eſſe, & veram vulgarem, *Non extrema ſedet* &c. Cui aſſerendæ & interpretandæ quæ adfert, Auctor nunquam ſomniavit. *Non heſterna*, hoc eſt hodierna. Vt ſignificetur Rufum quotidie mutare calceos, quam interpretationem nemo negabit veram eſſe; niſi is qui ridiculam eſſe non ſentit, quam Ramireſius firmandæ receptæ lectioni adhibet. Doctiſſimus Gruterus mentem hanc optimè animadvertit, damnatâ Iunij ſententiâ.

Ibidem.

Ignoras quid ſit? ſplenia tolle, leges.

Ineptè. Lege, *Ignoras quis ſit?* Ita etiam optimus liber Scriptus, & Editi caſtigatiores.

Eodem Epigrammate

quòd *Numeroſa* interpretatur *grandia*, ineptiſſimum eſt. Numeroſum eſt quantitatis diſcretæ; grande cõtinuæ. *Numeroſa* fortaſſe, quia ſæpius in die ea Rufus mutabat.

Ibidem.

Vox quæ proxime ſequitur non mutanda cum Lipſio in *ſtillantem*; retinendum *ſtellantem*, id eſt lucentem.

EPIGR. XXXIII.

Cur non baſio te, Philæni? luſca es.
In V. Codice, qui fuit Iuriſconſultiſſimi Cuiacii, Epigramma hoc verſiculo uno auctius legitur. nam poſt tertium inſeritur hic,
Cur non baſio te, Philæni? falſa es.
Sed ὕστερον Ϛεύς.

EPIGR. XXXVII.

Quidquid ponitur, hinc & inde verris,
Mammas ſuminis, imbricemque porci.
Significat partem porci, quæ in deliciis fuit. Lumbum putat Domitius, & vertebram demptis coſtis Ramireſius, quam *Spinam* vocant Hiſpani. Ego auriculam porci, quæ planè imbricem refert.

EPIGR. XL.

Cæcuba ſaccentur, quæq; annus coxit Opimi.
Eleganter & verè à nobis repoſitum *ſaccentur*, pro *ſiccentur*, Sic primus (niſi fallor) reſtituit Beroaldus: ſic deinde Turnebus, ſic Brodæus. Quibus eruditiſſimis viris quare non paremus? Marrucinus equidem tanti non eſt, qui mavult lectionem veterem retinere, ita ut *ſiccentur*, ſit exhauriantur. Nugæ. Nam *ſiccare* pocula, dicitur de ſtrenuis potationibus. Hîc autem præcipitur à medicis ſaccari & lino colari Cæcubum atque Opimianum Tongilio ægro. Nam vina ſaccata minùs nocent, ut defœcata, & domita. Sequens verſus id probat.
Condantur parco fuſca Falerna vitro.
Præcipitur Falernum bibi modico vitro, quia larga potio nocitura eſſet ægro. *Fuſca Falerna)* MS. *fuſa F.* fortaſſis non malè. Vina fundi & defundi, apud Horatium docemur. Cæterùm *ſaccentur* reponenti, aſſentiunt omnes *MSS.*

EPIGR. XLI.

Quamvis dixeris omnibus puellis.
Magis arridet lectio optimi Codicis, & duûm aliorum:

Verum ut dixerit omnibus puellis.
Neque dubium, ita *Martialem* ſcripſiſſe.

Ibidem.

Debes non aliter timere riſum,
Quam ventum Spanius, manumve Criſpus.
Mirum quantum abit ab hac lectione, ſcriptura Codicis Viennenſis ex Cæſareâ Bibliothecâ, cuius in Notis repetitæ lectionis meminit noſter Gruterus:

Quam ventum vacuus, manumve lippus.
Hæc faciunt, ut vulgata lectio mihi meritò ſuſpecta ſit, omnemque operam eos perdere exiſtimem, qui inquinatiſsimum locum frivolis & longè accerſitis coniecturis exponere tantùm conantur, non emendare. Quid mirum? De vitio nemini hactenus ſuboluit. Mihi minimâ mutatione videtur legendum:

Debes non aliter timere riſum,
Quàm ventum vatius, manumve lippus.
Vatius, ſive *vatias* (ut quibuſdam placet) eſt qui lentè ac moleſtè incedit propter vitium crurum, quæ curva habet atque exteriùs flexa. Qualia Æthiopibus plerumque tribuuntur, qui crura in orbem pãdere apud Petronium dicuntur. Perſtringiturque hoc libro quidam Phœbus à Poëta, cuius crura ſimulent Lunæ cornua; Epigr. XXXIII. vatium hunc fuiſſe ſuſpicamur. *Varus* contra eſt, cui introrſum crura obtorta ſunt & depravata. A priore illo vitio, Vatiarum & Vatiniorum cognomina fluxerunt, quòd pedibus eſſent vitioſis. In eadem voce corruptum eſſe Martialem, lib. XII, Epig. LXX. iamdudum odorati ſumus, hoc verſu:

Lintea ferret Apro vacuus cùm vernula nuper.
Legendum enim *vatius*. Vide quæ ad illud Epigramma notamus. Monet hoc loco Maximinam

anum

anum Poëta, diligenter ei cavendũ eſſe à riſu; ne ſi rideat ſolutiùs, deformitatẽ oris, tribus tantùm dentibus iiſq; piceis buxeiſq; ſuperſtitibus, populo prodat laxo rictu. Non aliter, inquit, riſum debes timere, quàm homo diſtortis cruribus ventum, cuius vi atque impetu in terram proſterneretur, & caderet: quàm vel manum lippus, homo oculis ægris & lippitudine turgidulis. Qui quantoperè indelectetur attactu,

Omnibus & lippis notum & tonſoribus.

Ne cui autem mirum videatur, inveniri homines qui ventum reformident, ac declinent, ne vehemẽtiá eius humi affligantur: ſciat, nanos exilisque ſtaturæ & iunceos homullos huic caſui plerumque obnoxios. Et Philetam nobilem poëtam ita gracili corpore fuiſſe & levi, uti neceſſe habuerit pilas plumbeas pedibus ſubiicere ac calceis ſuppingere; ne à vento ſubverteretur. Quod memoriæ prodidit Athenæus Deipnoſoph. lib. XIII. ſub finem.

EPIGR. XLIII.

Ex opibus tantis veteri fidoque ſodali
Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων.

Malim cum Grutero claudi atqui animari Epigramma notâ interrogatoria, *κοινὰ φίλων?*

EPIGR. XLIV.

Seu tres, ut puto, quatuorve libras.

Scribe cum eodem doctiſsimo viro, *ut puta:* qua particula Vlpianus I. C. præ reliquis creberrimè uſus.

EPIGR. XLVI.

Atque unam veſtire tribum tua candida poſſunt.

Ita rectè editur. depravatè in aliis, *tua vellera poſſunt.* Sic eodem modo loquitur Epigr. LVIII.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita.

meas tritas veſtes. *Tua candida*, togæ candidæ. Quod obſervavit etiam in Veriſimilibus Ianus Gulielmius.

Ibidem,

Ibidem.

Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici,
(Prô ſcelus!) & lateris frigora trita mei.

Optimè ſic reſtituimus, & grave mendum hactenus quidem à doctis animadverſum, ſed nondum ſublatum, iam primùm eradicavimus. Vulgò peſſimè, *frigora tuta times*. Vnde commentum ioculare, *tute times*. Ineptũ illud *τὸ times* decepit viros magnos, alibi fortaſſe occupatos. Nos cùm diu torſiſſet hic locus, tandem mentem ſubiit primam ſyllabam in *times* repetitam eſſe ex præcedenti *trita*. Eoque modo ad cubile mendi pervenimus. Nam *mei*, non *times* legendum. Nunc quæ diſtortiſſimi ſenſus antea erant, egregiam ſententiam efficiunt. Ille enim *ſuccinctus amicus*, eſt ipſe Martialis. *Frigora trita*, feſtivè vocat tritas ſuas lacernas; quæ quòd defloccatæ eſſent & longo uſu attenuatæ, facilè frigus admittebant. Nam de ſe loquitur.

Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici.

Id eſt, meam hiemem, meum frigus. Quare ingenioſum magis eſt, quàm verum, *latus* hîc ſignificare ſodalem, ut qui latus aſſiduò claudat indivulſus & perpetuus ſocius, quemadmodum lib. VI, Epigr. LXVIII.

Eutychus ille tuum, Caſtrice, dulce latus.

Quæ obſervatio Iano Gulielmio debetur; cuius nomine diſſimulato, non erat quod alienum pro ſuo venditaret Ramireſius. Omnino toto hoc Epigrammate Martialis conqueritur Nævolum de tot veſtibus, quas ſuppoſitas prælis haberet & reconditas, unam ſaltem ſibi ad frigus depellendum non donaſſe.

EPIGR. XXVIII.

Hæc præſta mihi, Ruſe, vel Bitontis.

Non intelligo: neque alius quiſquam, puto. Explicare tamen atque eruere latentem ſenſum pro virili conatus ſum in Libello quem DE DVBIIS

APVD MARTIALEM ſcripſi, & V. A. Iano Rutgerſio, Philologo & amico ſingulari, inſcripſi, brevi evulgandum.

EPIGR. LI.

Cùm ſit & hic culo tritior, Hylle, tuo.
Sic per duplex ll, hic & alibi ſemper concipiendum, *Hyllus*, Ὕλλος. Perperam vulgò *Hylus*.

EPIGR. LV.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi. quod iubes, coleris.
Nimis Latinè τὸ *colere* accipit Gulielmius Veriſimilium lib. XVII. cap. III. trahitque in rem amorum, quaſi idem ſit cum *arare* Plauti Truculento. Ego ſimpliciter pro θεραπεύειν quemadmodum Cato dicebat amicitiam Pompei θεραπεύοντος μᾶλλον εἶναι ἢ φιλοῦντος. Sanè *colere* togatulorum eſt, ut *amare* amicorum.
——— *quod iubes, coleris.*
Factum eſt, quod imperaſti.

EPIGR. LVII.

Ex membranis repoſui lemma *De Microſpico divite*, cùm vulgò eſſet, *In fictum divitem*, Sed ſcribendum; *De Micropſyche*, pro *Microſpico*. quæ erat eorum temporum conſuetudo ſcribendi, SP. pro PS. tranſpoſitis literis. Sic in antiquo Saxo TERSPICORE pro TERPSICHORE. pag. DCCCCXLII, 14. Vide ſuperiore libro, ad Epigr. LXXXVI.

Ibidem.

Oppigneravit Claudij modò ad menſam.
Scripſi quomodo ratio carminis legi poſtulabat. Editi luxato & turbato trium vocularum ordine repræſentabant:
Oppigneravit ad modo Claudij menſam.
Nec Scripti quidem hac parte ſaniores.

EPIGR.

EPIGR. LIX.

MICA vocor, quid ſim, cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum. &c.

Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. XXVI, magnus Scaliger, Non dubium eſt, inquit, quin in cœnatione ſeu ſtibadio Domitiani Cæſaris, quod propter exiguitatem ipſe vocavit MICAM AVREAM, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in Micam auream Epigrammate. Videtur enim in tholo ipſo (larva illa de quâ Petronius), aut humanum craniū, (cuius meminit Poëta Græcus Anthologiæ lib. II) fuiſſe ſuſpenſum. Diſplicet hæc interpretatio Cenſori Hiſpano, & contendit ad Mauſoleum Auguſti Cæſareum hunc tholum referendū. Hoc verum ſanè fuerit, ſi Mauſoleum Auguſti vocaretur *Mica.* &, quod ſtultius eſt, ſi illud Mauſoleū eſſet *Cœnatio.* Et tamen affirmat, imò iurat hunc eſſe verū Martialis ſenſum. Sed ridiculus eſt, & ineptus. Imo *Cæſareum tholum* vocat Martialis, quia à Cæſare Domitiano condita Cœnatio illa; in cuius tholo ſi non additum fuiſſet quod mortis admoneret, cur diceret?

Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

EPIGR. LX.

In Hyllum) Monuimus iam antè ad Epigr. LI. nomen hoc cum duplici *ll* ſcribendum.

EPIGR. LXIII.

Sola tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum:
Quæ tulit è ſacrâ Leda redempta viâ.

Domitius & Heraldus non falluntur; fallitur ipſe tiro Hiſpanus; qui interpretatur de ſervâ emptâ. Imo Lædam intelligit meretricem, cuius noctem tantâ pecuniâ redemerit.

EPIGR.

APVD MARTIALEM ſcripſi, & V. A. Iano Rutgerſio, Philologo & amico ſingulari, inſcripſi, brevi evulgandum.

EPIGR. LI.

Cùm ſit & hic culo tritior, Hylle, tuo.

Sic per duplex *ll*, hic & alibi ſemper concipiendum, *Hyllus*, ὕλλος. Perperam vulgò *Hylus*.

EPIGR. LV.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi. quod iubes, coleris.

Nimis Latinè τὸ *colere* accipit Gulielmius Veriſimilium lib. XVII. cap. III. trahitque in rem amorum, quaſi idem ſit cum *arare* Plauti Truculento. Ego ſimpliciter pro θεραπεύειν quemadmodum Cato dicebat amicitiam Pompei θεραπεύοντος μᾶλλον εἶναι ἢ φιλοῦντος. Sanè *colere* togatulorum eſt, ut *amare* amicorum.

——————*quod iubes, coleris.*

Factum eſt, quod imperaſti.

EPIGR. LVII.

Ex membranis repoſui lemma *De Microſpico divite*, cùm vulgò eſſet, *In fictum divitem*, Sed ſcribendum; *De Micropſycho*, pro *Microſpico*. quæ erat eorum temporum conſuetudo ſcribendi, SP. pro PS. tranſpoſitis literis. Sic in antiquo *Saxo* TERSPICORE pro TERPSICHORE. pag. DCCCCXLII, 14. Vide ſuperiore libro, ad Epigr. LXXXVI.

Ibidem.

Oppigneravit Claudij modò ad menſam.

Scripſi quomodo ratio carminis legi poſtulabat. Editi luxato & turbato trium vocularum ordine repræſentabant:

Oppigneravit ad modo Claudij menſam.

Nec Scripti quidem hac parte ſaniores.

EPIGR.

EPIGR. LIX.

MICA vocor. quid ſim, cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum. &c.

Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. XXVI, magnus Scaliger, *N*on dubium eſt, inquit, quin in cœnatione ſeu ſtibadio *D*omitiani Cæſaris, quod propter exiguitatem ipſe vocavit MICAM AVREAM, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id *M*artialis videtur velle hoc in *M*icam auream *E*pigrammate. Videtur enim in tholo ipſo (larva illa de qua Petronius), aut humanum craniũ, (cuius meminit Poëta Græcus Anthologiæ lib. II) fuiſſe ſuſpenſum. *D*iſplicet hæc interpretatio Cenſori Hiſpano, & contendit ad Mauſoleum Auguſti Cæſareum hunc tholum referendũ. Hoc verum ſanè fuerit, ſi Mauſoleum Auguſti vocaretur *Mica*. & quod ſtultius eſt, ſi illud *M*auſoleũ eſſet *Cœnatio*. Et tamen affirmat, imò iurat hunc eſſe verũ *M*artialis ſenſum. Sed ridiculus eſt, & ineptus. Imo *Cæſareum tholum* vocat *M*artialis, quia à Cæſare *D*omitiano condita Cœnatio illa; in cuius tholo ſi non additum fuiſset quod mortis admoneret, cur diceret?

Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

EPIGR. LX.

In Hyllum) *M*onuimus iam antè ad *E*pigr. LI. nomen hoc cum duplici *ll* ſcribendum.

EPIGR. LXIII.

Sola tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum:
Qua tulit è ſacrâ Leda redempta viâ.

Domitius & Heraldus non falluntur; fallitur ipſe tiro Hiſpanus; qui interpretatur de ſervâ emptâ. Imo Lædam intelligit meretricem, cuius noctem tantâ pecuniâ redemerit.

APVD MARTIALEM ſcripſi, & V. A. Iano Rutgerſio, Philologo & amico ſingulari, inſcripſi, brevi evulgandum.

EPIGR. LI.

Cùm ſit & hic culo tritior, Hylle, tuo.
Sic per duplex *ll*, hîc & alibi ſemper concipiendum, *Hyllus*, ὕλλος. Perperam vulgò *Hylus*.

EPIGR. LV.

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum eſt tibi. quod iubes, coleris.
Nimis Latinè τὸ *colere* accipit Gulielmius Veriſimilium lib. XVII. cap. III. trahitque in rem amorum, quaſi idem ſit cum *arare* Plauti Truculento. Ego ſimpliciter pro θεραπεύειν quemadmodum Cato dicebat amicitiam Pompei θεραπεύοντος μᾶλλον εἶναι ἤ φιλοῦντος. Sanè *colere* togatulorum eſt, ut *amare* amicorum.

———— *quod iubes, coleris.*
Factum eſt, quod imperaſti.

EPIGR. LVII.

Ex membranis repoſui lemma *De Microſpice divite*, cùm vulgò eſſet, *In ſtultum divitem*, Sed ſcribendum; *De Micropſycho*, pro *Microſpice*. quæ erat eorum temporum conſuetudo ſcribendi, *SP*. pro PS. tranſpoſitis literis. Sic in antiquo *Saxo* TERSPICORE pro TERPSICHORE. pag. DCCCCXLII, 14. Vide ſuperiore libro, ad Epigr. LXXXVI.

Ibidem.

Oppigneravit Claudij modò ad menſam.
Scripſi quomodo ratio carminis legi poſtulabat. Editi luxato & turbato trium vocularum ordine repræſentabant:
Oppigneravit ad modo Claudij menſam.
Nec Scripti quidem hac parte ſaniores.

EPIGR. LIX.

MICA vocor. quid ſim, cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum. &c.

Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. XXVI, magnus Scaliger, Non dubium eſt, inquit, quin in cænatione ſeu ſtibadio Domitiani Cæſaris, quod propter exiguitatem ipſe vocavit MICAM AVREAM, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in *Micam* aureum Epigrammate. Videtur enim in tholo ipſo (larva illa de quâ Petronius), aut humanum craniũ, (cuius meminit Poëta Græcus Anthologiæ. lib. II) fuiſſe ſuſpenſum. Diſplicet hæc interpretatio Cenſori Hiſpano, & contendit ad Mauſoleum Auguſti Cæſareum hunc tholum referendũ. Hoc verum ſanè fuerit, ſi Mauſoleum Auguſti vocaretur *Mica*. & quod ſtultius eſt, ſi illud *Mauſoleũ* eſſet *Cœnatio*. Et tamen affirmat, imò iurat hunc eſſe verũ Martialis ſenſum. Sed ridiculus eſt, & ineptus. Imo *Cæſareum tholum* vocat Martialis, quia à Cæſare Domitiano condita Cœnatio illa; in cuius tholo ſi non additum fuiſſet quod mortis admoneret, cur diceret?

Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

EPIGR. LX.

In Hyllum) Monuimus iam antè ad Epigr. LI. nomen hoc cum duplici *ll* ſcribendum.

EPIGR. LXIII.

Sola tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum:
Quæ tulit è ſacrâ Lada redempta viâ.

Domitius & Heraldus non falluntur; fallitur ipſe tiro Hiſpanus; qui interpretatur de ſervâ emptâ. Imo Lædam intelligit meretricem, cuius noctem tantâ pecuniâ redemerit.

EPIGR.

Ibidem.

Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici,
(Prô ſcelus!) & lateris frigora trita mei.

Optimè ſic reſtituimus, & grave mendum hactenus quidem à doctis animadverſum, ſed nondum ſublatum, jam primùm eradicavimus. Vulgò peſſimè, *frigora tuta times.* Vnde commentum ioculare, *tute times.* Ineptũ illud τὸ *times* decepit viros magnos, alibi fortaſſe occupatos. Nos cùm diu torſiſſet hic locus, tandem mentem ſubiit primam ſyllabam in *times* repetitam eſſe ex præcedenti *trita.* Eoque modo ad cubile mendi pervenimus. Nam *mei*, non *times* legendum. Nunc quæ diſtortiſſimi ſenſus antea erant, egregiam ſententiam efficiunt. Ille enim *ſuccinctus amicus*, eſt ipſe Martialis. *Frigora trita*, feſtivè vocat tritas ſuas lacernas; quæ quòd deflocatæ eſſent & longo uſu attenuatæ, facilè frigus admittebant. Nam de ſe loquitur.

Tu ſpectas hiemem ſuccincti lentus amici.

Id eſt, meam hiemem, meum frigus. Quare ingenioſum magis eſt, quàm verum, *latus* hîc ſignificare ſodalem, ut qui latus aſſiduò claudat indivulſus & perpetuus ſocius, quemadmodum lib. VI. Epigr. LXVIII.

Eutychus ille tuum, Caſtrice, dulce latus.

Quæ obſervatio Iano Gulielmio debetur; cuius nomine diſſimulato, non erat quod alienum pro ſuo venditaret Rameſius. Omnino toto hoc Epigrammate Martialis conqueritur Nævolum de tot veſtibus, quas ſuppoſitas prælis haberet & reconditas, unam ſaltem ſibi ad frigus depellendum non donaſſi.

EPIGR. XXVIII.

Hac præſta mihi, Ruſe, vel Bitontis.

Non intelligo: neque alius quiſquam, puto. Explicare tamen atque eruere latentem ſenſum pro virili conatus ſum in Libello quem DE DVBIIS

EPIGR. LIX.

MICA vocor. quid ſim, cernis? cœnatio parva.
Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum. &c.

Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. XXVI, magnus Scaliger, Non dubium eſt, inquit, quin in cænatione ſeu ſtibadio Domitiani Cæſaris, quod propter exiguitatem ipſe vocavit MICAM AVREAM, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in Micam auream Epigrammate. Videtur enim in tholo ipſo (larva illa de qua Petronius), aut humanum craniū, (cuius meminit Poëta Græcus Anthologiæ lib. II) fuiſſe ſuſpenſum. Diſplicet hæc interpretatio Cenſori Hiſpano, & contendit ad Mauſoleum Auguſti Cæſareum hunc tholum referendū. Hoc verum ſanè fuerit, ſi Mauſoleum Auguſti vocaretur *Mica*. &, quod ſtultius eſt, ſi illud Mauſoleū eſſet *Cænatio*. Et tamen affirmat, imò iurat hunc eſſe verū Martialis ſenſum. Sed ridiculus eſt, & ineptus. Imo *Cæſareum tholum* vocat Martialis, quia à Cæſare Domitiano condita Cœnatio illa: in cuius tholo ſi non additum fuiſset quod mortis admoneret, cur diceret?
Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

EPIGR. LX.

In Hyllum) Monuimus iam antè ad Epigr. LI. nomen hoc cum duplici *ll* ſcribendum.

EPIGR. LXIII.

Sola tibi fuerant ſeſtertia, Miliche, centum:
Quæ tulit è ſacrâ Læda redempta viâ.

Domitius & Heraldus non falluntur; fallitur ipſe tiro Hiſpanus; qui interpretatur de ſervâ emptâ. Imo Lædam intelligit meretricem, cuius noctem tantâ pecuniâ redemerit.

EPIGR.

EPIGR. LXIV.

Peleos & Priami tranſit vel Neſtoris ætas.

Pro *ætas* in nonnullis *annos* legitur. Scribo itaque,
Peleos & Priami tranſti vel Neſtoris annos.
Tranſti, pro *tranſiſti*. ſic Noſter *Surrexti, Adduxti*, & ex meâ emendatione *Perduxti*, alibi dixit, pro *Surrexiſti, Adduxiſti, Perduxiſti*: & eius notæ alia paſſim obvia.

EPIGR. LXXI.

Protinus aut Marſi recitas, aut ſcripta Catulli:
Hoc mihi das, tamquam deteriora legas; &c.

Quid velit Martialis, clarius Sole eſt. Tamen Ramireſio hæret hîc aqua, & *deteriora* in *dexteriora* mutat: & notam interrogationis poſt, *Ut collata magis placeant, tua?* removet. Huius mutationis cauſſam nullam video. Imò nihil abſurdius eſt, ſi ita legamus. Depravavit & involvit locum alioqui ſanum & expeditum. Quare in illum breve Epigrammation huiuſmodi luſimus,

DEXTERIORA *legit magno Laurentius auſu:*
Sed tamen, infelix, DETERIORA *facit.*

EPIGR. LXXIV.

Cinctum togatis poſt & ante Sauſellum.

Scribe *Sauſeium*. Sic ſemper vetera Inſcriptionum monumenta, nũquam *Sauſellus*. Corruptus etiam in hoc nomine Iuvenalis, Sat. IX. vbi *Lauſella* & *Sauſella*, pro *Sauſeia*. De gente Sauffeia, ex Nummis apud Fulvium, vide; & obſervationibus eius *Ap. Sauſeium* & *Decimum Sauſeium* adde, ex Plinii cap. LIII. lib. VII.

Ibidem.

Fuſciculenus præſtat, & Faventinus.

An *Fuſiculenus* legendum? quòd alterum nomen ignobilius, & in veteribus Inſcriptionibus FVFICVLENA ERIMISENIA, pag. MXXXVI, 7. &

7. & PVFICVLE NA TYCHE, pag. MCXXII, 10. legatur. In iiſdem de *Faventino* quodam, ex Lapide Romano:

D. M.

FAVENTINO. BENEMERENTI
FECIT. TVCHE. CONIVX
CVM. QVO. VIXIT. A. XX. D. XV.

Ex Mazochii Epigrammatum Romanorum libro Gruterus pag. DCCLXXXII, 7.

EPIGR. LXXIX.

Invitas tunc me, cùm ſcis, Naſica, vocatum.
Excuſatum habeas me, rogo; cœno domi.

Si vocatus eſt aliò, atque alibi condixit, quomodo ergo dicit, *cœno domi*? Hæc pugnantia ſunt. Mirum, Interpretes non advertiſſe frigus Epigrammatis, atque adeo ἀνακόλουθον, ſi ita legatur. In quodam Scripto eſt perſpicuè *vocaſſe*, non *vocatum*. In quo verſatur acumen & argutia Epigrammatis. Naſica cænipeta tum invitabat *Martialem*, cùm ſciebat illum inſtruere convivium, & amicos invitaſſe. Sperabat enim ita reſponſurum *Martialem*, Non tibi condicam, Naſica: vides enim me alios vocaſſe. ſed & tu quoque poteris apud nos eſſe unà cum ijs, quos invitavi: Nam & adhuc locus vacat tibi. Hoc unum nempe quærebat & ſperabat Naſica: ſed diſſimulavit urbaniſſimus Poëta; qui corvum hiantem eluſit, & παρὰ προσδοκίαν feſtivè ſe excuſavit, non invitato *Naſica*, cùm dicit ſe cænare domi. Non enim mos eſt nos excuſare, quòd cænemus domi, ſed quòd alibi operam promiſimus. Argutiſſimum eſt Epigramma: cuius nodum neminem video ſenſiſſe adhuc, nedum ſolviſſe. Nos beneficio ſemilaceri Codicis, in quo tantùm quædam ſelecta erant *Martialis* Epigrammata, primi mentem eius ita aperimus, ut nihil poſſit meliùs excogitari. Nam quæ vulgò adhibent ſomniorum interpretamenta explodimus.

EPIG. LXXXI.

Laxior hexaphoris tua ſit lectica, licebit;
Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.

Arridet hæc nobis lectio. Vulgati ferè, *Cum tamen.* Quòd Iunius ex veteri libro legit, *ſandapila eſt*; fateor ingenuè, me adeo obtuſo eſſe ingenio, ut argutiam hanc capere non poſſim. Eadem quidem ſcriptura in Chitographis quibuſdam mihi etiam lecta; ſed ii codices tanti non fuerunt, ut ſequerer: cùm involverent locum, non explicarent. Lege, quemadmodum ſcripſi; nihil difficultatis erit, & multum leporis. Cuiuſmodi lib. VI. Epigr. LXXVII.

Invidioſa tibi quàm ſit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

EPIG. LXXXII.

Abſciſſâ ſervum quid fingis, Pontice, linguâ?
Neſcis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Hæc eſt meliorum Codicum lectio. Aliàs, *quid fugis. quid fugias. quid fœdas.* quod ultimum non contēnendum videtur. Scaliger in orâ libri ſui emendavit,

Abſciſſâ ſervi quid fringis, Pontice, linguâ.

Quid fringis, vel *frigis*, quid exultas quòd ſervo linguam abſcideris? quaſi verò, quod ille tacet, populus non loquatur? De verbo *fringere*, *frigere*, *frigutire*, *fringutire*, lege Nonium & Varronem de Ling. Lat. Aliam ex huius ſcripturæ veſtigiis lectionem eruit Rutgerſius, quam vide Variar. Lection. lib. VI. cap. XI.

EPIGR. LXXXV.

Vimine clauſa levi nivea cuſtodia copta.

Sic Iunianæ Editiones, etiam Gruteriana: quæ tamen lectio nullam bonam ſententiā concipit. Legimus itaque è Scripto, utraque Aldinâ Editione, & Commentariis Calderini, *cocta.* De quo genere potus frigidi, à Nerone inventi, ex Plinio, Suetonio & Iuvenali præclarè idē Domitius. Et aſſenſum merebatur: ſed parum recoctus in arte iſtâ viſus eſt Iunio,

tantùm

tantùm abeſt ut officio boni Critici functus (quod verum erat) perhiberetur. Quà iniquitate offenſus Scaliger, notâ hanc eius obelo iugulavit, & adſcripſit: Pudet me Iuniani iudicii. *Copta* non magis huc facit, quàm placenta cocta vimine. Legendum *cocta*. Ita ad verbum Græci vocant *πυρίεφθον*: Quamquam hîc potiùs *τρoφαλὶς* eſt. Certum eſt tamen, coctam dici ad exemplum Græcæ vocis. Vnde aliter dicitur *πυριάτης*: quod nihil aliud quàm igne cóctum ſignificat. Hæc vir Illuſtris. At, ô bone,

Peccantis Iunî pugno ne percute dentes.
Ipſe ſuam coptam, ſi videatur, edat.

Coctam, quod vult Domitius, eſſe Decoctam Neronis non videtur Scaligero, quòd decoctam aquam putaret fortaſſè non rectè aſſervari poſſe & contineri in vimineo calatho. Quare interpretatur *πυρίεφθον*, ſive *πύρεφθον*. coloſtrum. *Hoc enim erat πύρεφθον* & igne coctum. Sed errat, meâ ſententiâ. Vt & Domitius, cui *nivea cuſtodia cocta*, colum nivarium eſt, ſaccus è vimine aut panno. De panno linóve, nota res: de colo vimineo, novum. Intelligi puto lagenam, friglinam dubium, an vitream, texto vimineo abditam atque armatam, quò minùs rumperetur uſu quotidiano & concuſſu. Cuiuſmodi ferè ſuriſcula Ægyptiorum fuiſſe videtur, circumlata in peregrinationibus æſtivis ſedandæ ſiti: cuius apud Pelagium Diaconum Romanum in Vitis Patrum crebra mentio. Vt, cùm alibi, tum lib. VIII, §. 4. *Propter cauma tulerunt ſuriſculam, & dederunt ei ut biberet: erat autem aqua permixta de mari & flumine, & non potuit bibere.* Vide ad eaſdem Patrum Vitas Heribertum Roſvveydum, S. I. ſpectatæ diligentiæ & eruditionis virum, in Onomaſtico hac voce. Qui etiam obſervavit, vas aquarium ad potum præparatum, quod Ruffinus Presbyter Aquileienſis lib. II. §. 14. *gellonem* ſive *gelluncułum* appellat, *Siruſculam* eſſe in eadem hiſtoriâ Pelagio lib. V. §, 24. *Gillo* veteribus Gloſſis exponitur *βαυκάλιον*. Item: *ποτιστήριον*. *aquale*, *gello*. Ioan. Caſſianus Inſtitut. lib. IV cap. XVI. *Si quis gillonẽ fictilẽ, quem Baucaliẽ nuncupant*

caſu aliquo fregerit. Ergo gillo, vas fictile. Itali vocant *Boccalem* (unde Belgis **Boccael**) Hiſpani *Cangilonem*. Hanc ſuriſculam exterius vimine aut ſparto munitam fuiſſe, quid ni veriſimiliter ſuſpicemur? quòd armatura huiuſmodi (etiam è corio) hodieque adhibeatur, quâ plerumque occurritur lagenarum fragilitati, cæteriſque incommodis. Quòd neq; abludant, quæ *Heſychius* in eruditiſſimis ſuis Gloſſis annotavit. Συρίσκος, inquit, ἀγγεῖόν τι πλεκτὸν, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλουσι. i. *Suriſcus vas* (è vimine, aut aliâ materià) *plexum, in quod ficus conijciebantur*. Vnde nomen hoc ei vaſi inditum? quæritur. fortaſſe quòd fiſcellâ, ſeu plexo huiuſmodi tegumento ſuperinduta eſſet, à *Suriſco*, *ſuriſcula* denominata eſt. Excerpta Vett. Gloſſ. capite de Vaſis fictilibus: *Pulterium* (l. *Pultarium*, ſive *Pultarius*) συρίσκος. Pultarii meminit Plinius lib. VII. cap. LIII. *Is cùm populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conviviumque haberet, editâ cænâ calidam potionem in pultario popoſcit*. &c. *M*eminit & Cornelius Celſus lib. II. cap. XI. *Caliculus quoque, aut pultarius oris compreſſioris, ei rei commodè aptatur*. Quo loco præſtantiſſimus *M*edicus non obſcurè indicat quâ forma fuerit hoc vaſculum: nempè ore anguſto, & amplo capacique ventre; ut quod cucurbitulas ſanguinarias referret, & earum uſum, ſi ænea & cornea inſtrumenta deſint, præberet. Columella de Re Ruſtica lib. XII, cap. XLIII. de uvis ollaribus verba faciens, *Nihil*, inquit, *eſt certius, quàm vaſa fictilia facere, quæ ſingulas uvas laxè recipiant. ea debent quatuor anſas habere, quibus illigata viti dependeant*. &c. *ſed uvæ dependentes à matre ſic in pultarios condi debebunt; ne qua partes vaſa contingant*. Grammatici pultarios dictos volunt, quòd in iis puls decoquebatur. Vaſaque hæc ampullarum & amphorarum uti formam, ſic & uſum interdum præbuêre. Reddebant enim imbuta pulte & odore farris gratum ſaporem, potantibusq; vinum dulcius videbatur. Martialis Xeniorum Epigr. v.

Imbue plebeias Cluſinis pultibus ollas,
Vt ſatur in vacuis dulcia muſta bibas.

EPIG.

EPIG. XCI.

Soſpite quo magnos credimus eſſe Deos.
Eſſe, qui hunc locum atrociter confoderet, reponeretque immani ſcelere *manos* pro *magnos*, diximus ad Epigr. XII. lib. I.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. III.

EPIG. I.

I L L A, *vel hæc, mea ſunt. quæ meliora putas?* Fruſtra conatur Ramireſius interpunctionem hanc labefactare, quam Gruterus noſter ex conſilio Douſæ adhibuit. Certè ſic rectè interrogativè leges. Aliter fuerit inepta ſententia. Sequentia ſatis probant. *Et mira eſt contradictio.*

EPIGR. II.

Illo vindice nec Probum timeto.

Non indiget, imò non digna eſt confutatione tanta ſtoliditas, quæ aptiùs legi cenſet *probrum.* O Rameſi, Rameſi,

Qualem te Marco cuſtodem Dî genuerunt!

EPIGR. III.

Formoſam faciem nigro medicamine velas.

Imprudenter ita priores editiones ſecuti Typographi ediderunt, contemtâ emendatione noſtrâ, quam ad oram adſcripſeramus,

———— *nigro velamine celas.*

Ita. n. legebamus partim ex optimo Scripto, in quo disertè *velamine*; partim ex Anglicano, & quodam alio

alio noſtro, in quo *celas*. Ita iamdum cenſuimus: neq. dubium eſt, ita legendum eſſe. Cæterùm hoc Epigramma in Calderini libris meliùs Epigrammati quinto ſubiicitur, ante Epigr. ad Marcellinum, *Lux tibi*, &c.

EPIGR. IV.

Si quando veniet? dicet: reſponde, Poëta. &c.
Variant eodem modo heic noſtri Codices, quo Gruteriani: Optima ipſi videtur lectio:

Quando venit? dicet: tu reſpondeto, Poëta. &c.
Nobis illa, quam edi curavimus; quæ etiam Scaligero placita in Manilianis. ubi notat *Reſpondero* tertio ordine veteribus prolatum. Manilius lib. v. extremo:

Sic etiam magno quadam reſpondere mundo.
Similiter Martialis *Salvere*. Lib. XI. Epigr. ult.

Lector ſalve, taces, diſſimulasque? vale.
Ita veteres libri. argutè. Vulgati, *Lector ſolve*. Idem lib. eod. Epigr. XCVI.

Inſolium puta te mergere, Flacce, caput.
& ſic non ſemel Noſter. Sed clariùs Val. Flaccus lib. v. ——— *ille profundo*

Incumbens Odruſſa mero. vide lata comantem
Pectora ———

EPIGR. V.

Protinus hunc primi quæres in limine tecti.
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, lares.
Noli in voce *tecti* quicquam labis credere, aut de via *Tectâ* ſuſpicari. *Primi tecti*, prima parte domus. Vt Iuriſconſultis *primum Edictum Prætoris*. Grammaticis, *primus Annalis Ennij*. Quæres eum & offendes, inquit Poëta, in veſtibulo ædium quas nuper Daphnis habuit. per *primum tectum* veſtibulum innuit, ideo *liminis* meminit. Martialis Lib. VII. Epigr. LI.

Pompeium quæras (& noſti forſitan) Auctum:
Vlteris primâ Martis in æde ſedet.
Quantas hic moles diſputationum pro re nihil movet Ramireſius!

EPIGR. VII.

Regis ſuperbi ſportulæ receſſerunt.
Quòd in libello Spectaculorum de Nerone ſcriptum ſit:
Inuidioſa feri radiabant atria Regis:
etiam heic de Nerone intelligit Ramireſius. Quo nihil abſurdius. Imò *Rex ſuperbus* eſt is, quem vocat *balneatorem elixum*, & cuius anteambulo erat, à quo accipiebat ſportulam. Quoties apud Martialem, ut Horatium aliosque diſsimulem, *Regis* nomine vocatur is, à quo pauper togatus ſalutator, vel anteambulo, ſportulam accipiebat & latrantis ſtomachi ſolatium? Pudet me puerilis oſcitantiæ.

Ibidem.

Nihil ſtropharum eſt: iam ſalarium dandum eſt.
Salarium ad præſcriptum eorum, qui conducuntur, datur: Sportula dabatur ex libidine potentum. *Salarium* pro mercede accipitur, quam paciſcerentur togati pauperes à proceribus.

EPIGR. X.

Conſtituit, Philomuſe, pater tibi millia bina
Menſtrua, perque omnes præſtitit illa dies. &c.
Millia bina) Bis mille ſeſtertiûm, qui ſunt denarii quingenti menſtrui. Itaque annua fuiſſet denariûm ſex millia. quod eſt talentum Atticum. Sed cùm ea menſtrua non ſufficerent gulæ Philomuſi, coactus eſt pater ſubminiſtrare diurna. Vnde factum, ut patrimonio exhauſto per diurnos nepotatus & prodigalitatem filii, pater depauperatus nihil illi reliquerit, quamvis eum ex aſſe heredem inſtituerit. Scio *millia bina* aliter accipi, ſed nemo ſanus poteſt aliter intelligere. Quòd Ramireſius ait, *millia bina* ſumi pro duobus computis Hiſpanicis, quos illi *Cuentos*, Galli & Itali *milliones* vocant, fruſtra eſt, neq; uſum Latinæ linguæ intelligit. Hoc enim non *millia bina*, aut *bis mille* dicitur, ſed *vicies*: hoc eſt vicies centena millia ſeſtertiûm. Puer eſt, puer. Condonandum illi.

Ibidem.

Ibidem.

Et vitiis eſſent danda diurna tuis.

Leviculum eſt. *eſſent*, non *eſſet* legendum: nec mouiſſem, niſi ſplendidæ quoque Editiones τὸ *eſſet* retinerent.

EPIGR. XVII.

Circumlata diu menſis ſcriblita ſecundis.

Nihil verius, nihil ingenioſius potuit excogitari à Domitio Calderino, qui legerat in ſuis Veteribus, *ſcribit ita.* Et cur non amplectamur *ſcriblita*? Nam Canis illius latratoris Merulæ *intrita*, digna eſt auctore ſuo: Meritò reiecta ab Hiſpano Interprete: cuius collectanea de ſcriblita hîc lege. Cùm *intrita* impenſa ſeu fartcimen molliſsimum ſit, botulorum, tomaculorum, aut Lucanicarum, quem locum (ſodes) hîc habebit? *Scriblita* eſt quam Itali *tortam* vocant: quæ coquitur in forma ænea, & diutiſsimè fervet; ut niſi poſt longum intervallum digitos admittat, paululum frigidefacta. Dicebatur autem ſcriblita, quòd illi, ut hodieque fit, literæ & figuræ imprimebantur à dulciario.

EPIGR. XIX.

Proxima centenis oſtenditur urſa columnis,
Exornant fictæ quà platanona feræ.

Falſò Domitius interpretatur Porticum Agrippæ: idemque error poſtea alios implicuit. Stadium intelligit, quod Hecatoſtylon vocat Euſebius in Chronico, numero MMCCLXI. Vide quæ ibi in Animadverſionibus Magnus Scaliger. Vide omnino.

Ibidem.

Dum perit, ò facinus falſa quòd urſa fuit.

Vide Criticum acumen iuvenis Hiſpani. Legit,

Comperit & facinus auſa quod urſa fuit.

Et interpretatur: *Exeunte viperà ab ore feræ, viſa eſt ipſa ſua ſponte fateri ſcelus illud.* Nugæ. Cauſſa eſt, inquit, mortis quòd urſa fuit falſa: nam ſi fuiſſet vera, non auſus fuiſſet Hylas immittere manum in os

 belluæ

belluæ: nunc de fictâ ſequius nihil ſuſpicans (ſimulachra enim nocere non poſſunt) à latente viperâ puer morſus periit.

EPIGR. XX.

An æmulatur improbi iocos Phædri?

Poſſunt ne magis decoquere de iudicio, ac magis ludere de otio ſuo viri docti, qui exiſtimant Fabulatorem Phædrum à Clariſsimo Pithœo editum, & cuius Avienus quidam, ſive Avianus, in præfatione Fabularum ſuarum Æſopiarum ad Theodoſium meminit, hunc eundem eſſe, de quo loquitur, Martialis? Volunt nos credere ſcilicet, Libertum illum Auguſti Cæſaris fuiſſe, ſtilo atque tempore parem proximumve Laberio vel Publio Mimo. & quidē, quātum coniiciunt, ſub Tiberio vixiſſe, atque adeo poſt Seianum damnatum. Nugæ. Certè, niſi vehementer fallor, ævo illo dignus cenſeri minime poteſt ſcriptor iſte, cuicui tandem ille alapas & libertatem debeat. Parco argumenta ſigillatim apponere, quæ me movent & cogunt ſeorſim ſentire, fœtumque alieniſsimum pronunciare impellunt à iocis Phædri, cuius hic Martialis meminit. Oſtendam fortaſſe aliàs plenè, ubi otium erit & animus iſthæc frivola pertractādi. Interim conſidera mihi, quæ olim Perottus Pontifex Sipontinus in Commentariis ſuis ad lib. I. Martialis conſignavit, ad hunc locum:

Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.

Alluſit (inquit) ad fabulam, quam nos ex Avieno in Fabellas noſtras adoleſcentes Iambico carmine tranſtulimus:

Olim quas vellent eſſe in tutelâ ſuâ
Divi legerunt arbores. quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, &c. quæ ſequuntur ibi totis duodecim verſibus, & finiunt:
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Quæ ipſiſſima Phædri illius ſunt, à Phithœo primùm & poſt à Ritterſuſio, Rigaltio, atque aliis editi, Notiſque & Scholiis illuſtrati. Extant lib. V.

V. fab. LVI. Variat quidem Perottus duabus aut tribus lectionibus, ſed quas piget deſcribere.

EPIGR. XXI.

In crudelem dominum. Lemma hoc concipitur in quibuſdam Veteribus, *De domino & famulo.* & arridet magis.

EPIGR. XXII.

Dederas, Apici, bis trecenties ventri.

Ioannes Meurſius, V.C. mihique propter vetus amicitiæ ius & ſummam eruditionem æternùm colendus, corrigebat *ter trecenties*, ortâ videlicet mendâ ex confuſione notarũ II. & III. Nam ſeſtertiũm nongenties commeſſationibus hauſiſſe Apiciũ, Seneca auctore, didicerat. qui legendus Conſolatione ad Helviam cap. x. Et amicus ille meus libro Singulari de Luxu Romanorum, cap. II. Martialem quoque ex Seneca emendandum. & pro *bis trecenties* legendum *ter trecenties*, iam plus quàm ſeculum eſt, quòd obſervarit illuſtre Galliæ ſuæ ſidus Gulielmus Budæus, in Commentariis de Aſſe, ipſo fine lib. II.

Ibidem.

Summâ venenum potione duxiſti.

Membranæ, *perduxit*. Scribe ſine morâ *perduxſti*, pro *perduxiſti*. Sic Supra correximus *tranſti* pro *tranſiſti*, lib. II. Epigr. LXIV. & infra lib. VII. Epigr. LVI. *percepſti* pro *percepiſti*. *Perducere*, ſignificat ebibere, exhaurire. quod *obducere*, *educere*, *ducere* apud Ciceronem, Senecam, Plautum, Horatium, Propertium, Iuvenalem, & alios, quos non congero. Pro eodem *perducere* vſurpari, allatis in medium exemplis, quæ ad manum nunc ſunt, clarum fiet. Apuleius *Mileſiar.* de Aſino, lib. x. *Repertum vini poculum in quo venenum latebat incluſum, neſcius fraudis occultæ, continuo perduxit hauſtu.* Arnobius lib. v. in verſibus quos ex Orpheo tranſtulit:

Perducit totum cyceonis læta liquorem.

Scribonius Largus: *Aquæ cyathis tribus vel frigidæ vel calidæ perductæ.* Marcellus Empiricus: *Perduci illud ex mulſo vino oportet.*

EPIG.

EPIGR. XXIV.

Ut citò teſticulos peracutâ falce ſecaret.
Non potes hæc intelligere, niſi conſulueris quæ illuſtri Scaligero notantur ad Feſtum in *Solitaurilia.*

Ibidem.

peracuta falce.
Ita ferè Edd. ſed impreſſos codices facilè redarguit Ms. in quo, *& acutâ falce.* Vnde Martialem ſcripſiſſe veriſimile eſt:

Ut citò teſticulos, ſet acutâ falce, ſecaret.
Non abhorret ab hoc loquendi modo Auctor. caſtigandus etiam aliquoties in hac phraſi. *Set* antiquitus pro *Sed* ſcribi, nemo paulo humanior ignorat.

Ibidem.

Dum iugulas hircum, factus es ipſe caper.
Nuſquam, quantùm recordor, legi *caprum* dici τὸν ἐκτομίαν in genere caprino, quemadmodum *vervex* dicitur in genere ovillo.

EPIGR. XXV.

Roga, lavetur Rhetorem Sabineium.
Pro *Sabineum*, ſcripſimus *Sabineium.* Hoc Romanum, alterum barbarum. Sic ſcribebant *Manneium*, *Sauſeium*, *Anneium*, & talia: quæ in Inſcriptionibus occurrunt & monumentis antiquis. Apud Gruterum pag. DLIX, 4. diſertè T. SABINEIVS. SACER. Sed ne quid diſſimulem, pag. DCIII, 6. ABINNAEVS. CAESARIS. AVG. P.

EPIGR. XXVI.

Omnia ſolus habes: hoc me puto velle negare.

Sic libri vulgati. Sed maluimus cum Grutero *puta.* Et ampliusnunc ſcribam, *nec me puta velle negare.* Supra oſtendimus, & Gruterus noſter alibi docuit, ultimam

ultimam in *puta* corripi. Et ita quoque in Priapeiis auctor incertus, in Epigrammate:

Vt Phœbo puta filioque Phœbi.

EPIG. XXXVIII.

Inſanis. omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt tibi. Naſones Virgilioſque vides.

MSS. aliquot, *ſunt ibi.* nempe Romæ. Et ſic emendabat Zinzerlingus, Promulſidis Criticæ cap. XXVII.

EPIG. XLII.

Lomento rugas uteri quòd condere tentas.

Ita legendum. Nam quòd quidam Codices habent *credere*, quid illud ſignificet, comminiſci non queo. Quare hic non audio etiam optimum Palatinum; cuius ſanè auctoritas tanta non eſt, ut nuſquam elevari poſſit. Manuſcripti libri cum iudicio legendi ſunt. Nihil certius eſt, quàm legendum, *condere*. Vt contra infra Epigr. LXXII.

Aut ſulcos uteri prodere nuda times.

Ideò condebantur lomento. Lib. XIV. Lemmate *Lomentum*, LVIII.

Gratum munus erit, ſciſſo nec inutile ventri,
Si clarà Stephani balnea luce petas.

Ibidem.

Polla, tibi ventrem, non mihi labra linis.

Caveat hîc ſibi tiro ſublini os magni viri caſtigatione ſatis audaci & temerariâ:

Polla, tibi ventrem nonnihil abra linit.

Quid in re clarâ argutamur? Vulgata lectio ſolicitãda non eſt. Quòd uteri tui ſulcos lomento condas, video: nec me eo fuco decipis, Polla. Proverbium *os alicui ſublinere*, tritius eſt quàm ut heic exponatur, & actum agamus. Non ſatis perſpicio quid Placidus velit in Gloſſis: LITVM os, *patientiam calcatam, vel crudelitatem in rictu.*

EPIG.

EPIGR. XLVII.

Et qua puſilli fervet Herculis fanum.

Rectè Domitius *fervet* exponit *celebratur*. cultorum nempè multitudine & frequentiâ. Sic Iuvenalis:

——— *à ferventi migrare Suburrâ,*

quia celeberrimus Vrbis locus. Auſonius Epiſt. x.

Anguſtas fervere vias, & congrege vulgo
Nomen plateas perdere.

Virgilius Æneid. IV. verſ. 407.

——— *opere omnis ſemita fervet.*

Et ibidem *fervere litora*. Lib. VIII. v. 677. *fervere Leucatem*. & ſic alibi. Cicero II. Philippicâ: *Calebant in interiore adium parte totius Reipubl. nundina; multi veniebant, multi eò confluebant.* Martialis lib. VII. Epigr. VII. de Iſtri glacie numeroſis curribus & rhedis calcatâ:

Et ungularum pulſibus calens Iſter.

Catullus in Galliambo de Attine:

Mihi ianua frequentes: mihi limina tepida.

Octavianus Auguſtus in Epiſtolâ quadam ad Tiberium privignũ, cùm aſſiduum ſe in aleæ luſu fuiſſe ſignificaret, ſcribit: *Luſimus per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Tertullianus dixit *aſtuare carcerem*, pro plenum eſſe, Apologet. cap. XLIV.

EPIG. XLVIII.

Pauperis exſtruxit cellam, ſed vendidit Ollus
Pradia; nunc cellam pauperis Ollus habet.

Aliena ſunt, quæ ad hunc locũ Interpretes fabulantur. Nec vera ſanè explicatio in proclivi, aut ulli hactenus perſpecta. Nos, ne ignoretur vrbaniſſimi Poetæ iocus, exponemus & genuinũ auctoris ſẽſum primi ex antiquitate eruemus. Proceres & ditiores exſtruebãt cellas non ſolũ famulis, quas ideò fortaſſe vocaverit Cato *cellas familia*, ſed etiã amicis minorũ gentiũ, quas vocabãt *pauperũ cellas*. Vt Seneca Epiſt. *Cùm circũſpexeris omnia, nullas videbis anguſtias inanes: Deſit ſanè varietas marmorũ, & cõciſura aquarum cubiculis influentium, &* PAVPERIS CELLA, *& quidquid aliud luxuria nõ contenta decore ſimplici.* Idẽ Ep. XVIII. *Non eſt nunc, quòd exiſtimes me ducere te ad modicas cœnas, &* PAVPERVM CELLAS, *& quidquid aliud eſt per quod*

luxuria divitiarũ tadio ludit. Vbi manifeſtò per *pauperũ cellas*, tiguriola intelligit, in quæ faſtidioſi illi divites miſeros tribules amicos recipiebãt, ne intra ædes ſuas admitterẽt. Sed poſtremo loco tã importunè quã ridiculè iniecta eſt mentio *canarũ modicarũ*, quæ magnũ Lipſiũ in Scholiis ad illum Philoſophũ mira vaticinari adegerunt: & quæ deinceps Raderũ decepêre. Nõ tanti profectò erant quæ Cõmentariis ſuis inſereret, illuſtrãdo huic Epigrãmati. Sequentia hæc, *Grabatus ille verus ſit & ſagum*, & verba Epiſt. Cẽteſimæ ſatis probanr cubiculorũ & grabati, non cænarũ rem agi. Quare ſuper hoc loco publicũ oraculum Scaligerũ noſtrũ conſului. Is reſpondit mihi (de quo Lipſiũ monui) legendũ, *meducere te ad monas cenas.* ad μονὰς κοινὰς: ad cellas commnnes, in quas adventores amici pauperes recipiebãtur. In vetuſtis exẽplaribus manu exaratis *me ducere te admoueas*, ſive *admoneas*, *cenas*. In quã ſcripturã una tantũ literula abundat. ingenioſam, & verã lectionẽ (quis audeat negare?) doctiores mecũ exoſculabuntur: Non autem *Timoneas cænas* Turnebi. Adverſat. lib. XXIV. cap. XXXIII. cùm cænarum nulla hîc participatio ſit. aut alius locus emẽdationi. Quæ igitur *Pauperum cella* vocabantur, eædem & Græce μοναὶ κοιναί. Ideo lib. VIII. Epigr. XLIII. conqueritur Martialis ventoſam cellam à crudeli domino ſibi datam.

At mihi cella datur non totâ clauſa feneſtrâ,
In qua nec Boreas ipſe manere velit.

Vbi & τὸ *manere* κυριολεκτικῶς dictum. *Cella* enim eſt μονή. Et cellæ monachorum μοναὶ iam antiquitus dictæ. Vlpianus I. C. has pauperum cellas *modica hoſpitiola* appellat. ff. lib. IX. tit. III. De his qui deiecerint vel effuderint, leg. V. §. 1. & 2. *Si quis gratuitas habitiones dederit libertis & clientibus ſuis, vel uxoris: ipſum eorum nomine teneri, Trebatius ait. Idem erit dicendum. Et ſi quis amicis ſuis modica hoſpitiola diſtribuat.* Ex lib. XXII. ad Edictum. Ruffinus Presbyter Aquileienſis in Vitis Patrum, de S. Ioanne: *Adſcenſus ad eum difficilis, aditus monaſterÿ obſtructus & clauſus*, &c. *mulierum illuc nulla, nec ad conſpectum quidem eius acceſſit: ſed & viri rarò, & cer-*

& certis quibuſque temporibus. CELLAM *ſanè* HOSPITALEM *extrinſecus fieri permiſit, in quâ advenantes è longinquis regionibus paululùm requieſcerent.* Verùm hæc hactenus. Plura erant, ſed modus eſto. Vitruvium ſtudioſi ipſi legent. Nunc quid Martialis velit, obſcurum non eſt: Ollum, cùm eſſet dives, ex more reliquorum divitum conſtruxiſſe cellam pauperis; ſed bonis abliguritis, & prædio divendito, unam ſibi cellam reliquam feciſſe, quæ nunc verius pauperis cella quàm olim dici poſſit. Niſi morem illum conſtruendi pauperum cellas intelligamus, obſoleſcit omnis venuſtas huius Epigrammatis. Nec conſtabit de vero ſenſu lib. IX. Epigr. LXXIII.

Traneſtina tenes decepti rura patroni,
In quibus, indignor, ſi tibi cella fuit.

De Cellis familiæ (de quibus obiter ſupra) Cato de Re Ruſticâ cap. XIIII. *Villam ædificandam ſi locabis novam ab ſolo, faber hæc faciat oportet* &c. *equile, cellas familiæ*, &c. De iiſdem Varro de R.R. lib. I. cap. XIII. *Familia ubi verſetur providendum, ſi feſſi opere, vel frigore, aut calore, ubi commodiſſime poſſint ſeſe quieti recipere. Villici proximè ianuam cellam eſſe oportet.* &c. Viri docti latrinas exponunt καὶ τοὺς ἀφεδρῶνας. Non rectè. Ea potiùs ſunt *Sellæ familiaricæ* Varroni, quæ & *Sellæ* ſimpliciter dicuntur apud Marcellum Empiricum. Varro cap. eod. *Secundùm villam duo oportet habere ſterquilinia*, &c. *Quidam & ſellas familiaricas ponunt.*

De cellis ſervorum atrienſium ac ianitorum, quæ erant adſtructæ magnarum ædium aut inſularum veſtibulis, deque cellis meretriciis, eruditè (quomodò ille aliter?) ſcripſit clariſsimus & totius antiquitatis peritiſsimus Iſaacus Caſaubonus Animadverſ. in Suetoniū lib. IV. extremo, in Vitam Caligulæ. In quam etiam cap. XLI. ut & ad Tiberium cap. XLIII. legendus in Commentario Lævinus Torrentius.

EPIG.

EPIGR. XLIX.

Veientana mihi miſces, ubi Maſſica potas.
Ita lego cum MS. optimo, & editione Gruterianâ, quam quare non ſequitur Ramireſius? Nimirum, quia odit Gruterum, nullâ de cauſſa. Quod & in nobis experimur ab aliis fieri. Codex alius fortaſſe non peius ———— *tu Maſſica potas.*
Sanè vulgg. *tibi Maſſica potas*, non eſt ferendum.

Ibidem.

Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.
Idem acutiſſimus Criticus legit *hic*, non *hæc*. Atqui propterea non evitavit, ut eodem res recideret. Vtrovis enim modo legas, idem erit. *Bibere* ſimpliciter & abſolutè dictum. Neque quid lectorem remorari poſſit, video.

EPIG. LVIII.

Exercet hilares facilis hortus urbanos.
Poſt hunc verſiculum fortaſſe melius retraheretur ille, numero ab hoc tertius,
Et delicatus opere fruitur Eunuchus.
Quamquam non auſim ſolicitare.

Ibidem.

Et pædagogo non iubente laſcivi
Parere gaudent villico capillati.
Proprium eſt pædagogorum imperare comatis, cùm tamen villicus adhibet eos ad opus, non invidet ei pædagogus, ſed ſinit eum imperare illis: quibus tamen imperare non villici eſt, ſed pædagogi. Sequens verſiculus confirmat:
Et delicatus opere fruitur Eunuchus.
Hoc eſt, tam capillati quàm eunuchi iubente villico, ne otioſi ſint, ad opus aliquod villaticum adiguntur. Sic dixit antea,
Non ſegnis albo pallet otio caupo.

G Dicit

Dicit omnino eos,qui ut plurimum in otio degunt aliquo in opere occupari. Hanc mentem *Martialis* putamus. Itaque quæcunque hîc aggeruntur de capillo & capillatis; præſertim quæ producuntur ex Catulli *Epithalamio*, ſunt nugæ canoræ.

Ibidem.

Et ova matrum vimineo ferunt texto.

Legerim, ——— *vimine offerunt texto.* Vel *afferunt.* Sic conſuletur verſui, alioquin inſolentiori.

Ibidem.

Furem Priapo non timente ſecurus.

In Vulgatis omnibus adhæſit τὸ *Furem* enclytica *que.* quam delevimus vel poſtulante lege verſus, & iubentibus membranis.

Ibidem.

Rus hoc vocari debet, an domus longè?

Domus longè. Helleniſmus, ὁ πόῤῥω οἶκος. Propertius lib. I. Eleg. xx.

Egreſſam longè Phaſidos iſſe viam.

Item lib. IV. Eleg. I.

Hîc, ubi Fidenas longè erat ire via.

Id eſt, ubi longè via erat ire Fidenas. *Longè via*, longinqua via. ut heic, *longè domus.* Quæ obſervatio inſcribenda *Magno Scaligero.* qui dudum id notavit ad Propertium, duobus locis. Diſſimulat Ramireſius, qui ad verbum indè omnia excerpſit: immemor legis, *Ne quid alieni in armum;* Immemor etiam cenſoriæ ſuæ notæ ad Epigr. LXII. *Noſtri*, inquit, *temporis Critici multa venditant pro ſuis, quæ in aliis inveniuntur.* Suſpicabar aliquando, num hîc ſcribendum, *an domus longa?* quomodo lib. X. Epigr. XXX.

Nec ſeſſa longe quærit in mari prædam.

Longum mare. longinquum, procul diſſitum: nam ſequitur,

Sed

Sed à cubili lectuloque iactatam
Spectatus altè lineam trahit piſcis.

EPIGR. LX.

Cereus immodicis turtur te clunibus implet.

Nihil ſpecioſius hac lectione, quam reiecta vulgari *Aureus*, libenter admiſi; cùm in divino Scazonte proximè præcedenti legamus,

Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

Et in Xeniis,

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo.

Id eſt, pinguis. à colore adipis. *MS.* optimus pro *turtur* habet *turdus*, quæ lectio non planè contemnenda. Horatius lib. II. Sat. ult.

Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi.

Quo in loco τὸ *albi* non ad colorem plumarum, ſed pinguedinis, referendum puto.

EPIGR. LXIII.

Inter femineas totâ qui luce cathedras.

Nullo modo poſſum tacitus præterire Vet. Cod. ſcripturam,

Inter femineas qui nocte dieque cathedras.

Cui non ægrè ſubſcribo. Sic enim lib. XII. Epigr. XXXIIX.

Hunc qui femineis noctesque dieſque cathedris
Incedit, totâ notus in urbe nimis.

Ibidem.

Qui legit hinc illinc miſſas ſcribitque tabellas.

MS. optimus, *recipitque tabellas.*

Ibidem.

Res pratricoſa eſt, Cotile, bellus homo.

Emendavi *pratricoſa*, pro *petricoſa*, & *pertricoſa*. quomodo in omnibus Edd. hactenus lectum, & in pleriſque ferè Scriptis. niſi quòd in uno, *pratioſa.*

EPIGR. LXV.

Gramina quod redolent quæ modò carpſit ovis.

Non certè mellilega *apis* tanti, ut hîc τὸ *ovis* ſubſtitueretur. Quamquam ſic membranæ quædam apud

me, & Calderini Codices multi: eiuſdemq; nonnulli *avu*. Sed placet *ovis*. Quamquam etiam *carpendi* verbum ad apes interdum referri, non ignorem. Horatius IV. Carm. II.

——— Ego apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma ———

EPIGR. LXVI.

Parſcelus admiſit Pharijs Antonius armis. &c. In Catalectis veterum Poëtarum Pithœi M. Valeriano inſcribitur hoc Epigramma. Quis ille ſit, iuxta cum ignariſſimis ſcio. Martiale non eſt indignum: nec facile eò aſſurgit animus Scholaſtici alicuius, aut τῦ ἀσυκλῦ.

Ibidem.

Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.
Fortè, *Abſcidit, heu, vultus*, ut quantitatis ratio habeatur: aut ſcribendum, *Abcidit* à *cado*. Quod utrumque *Douſæ* videbatur.

Ibidem.

Antoni tamen eſt peior, quàm cauſſa Photini.
Scripſimus *Pothini*. Ποθεινὸς non Φοτεινὸς. Idem error Epigr. LXIX. lib. V.

EPIGR. LXVII.

Ceſſatis pueri, nihilque noſtis
Vaterno Raſinaque pigriores.

Coniectura illorum, qui pro *noſtis* legebant *moſtis*, præ reliquis placuit: & mihi quidem non amplius coniectura, ſed vera lectio eſt. Eam itaque repoſui. Et poſt legendum cenſui *Vatreno*. De quo Plinius lib. III. cap. XVI. quod eſt de Pado flumine: *Nec amnes tantùm Appenninos Alpinosque navigabiles capiens, ſed lacus quoque immenſos in eum ſeſe exonerantes, omni numero* XXX. *flumina in mare Adriaticum defert*, &c. *Nec alius amnium tam brevi ſpatio maioris incrementi eſt: Urgetur quippe aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ, quanquam diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque*

quæ per CXX. M. P. *tamen quia largiùs vomit, ſeptē maria dictus facere. Anguſtâ foſſâ Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus appellatus. Proximum inde oſtium, magnitudinem portus habet qui Vatreni dicitur, quo Claudius Cæſar è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo veriùs quàm nave intravit Adriam. Hoc antè, Eridanum oſtium dictum eſt: aliis Spineticum ab vrbe Spina, quæ fuit iuxta prævalens, Delphicis (ut creditum eſt) theſauris condita à Diomede. Auget ibi Padum Vatrenus amnis, ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Capraſiæ, dein Sagis, dein Volane, quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſasque primi à Sagis fecere Thuſci, egeſto amnis impetu per tranſverſum in Atrianorum paludes, quæ ſeptem maria appellantur, nobili portum oppidi Thuſcorum Atriæ, à quo Atriaticum mare antè appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Pluſcula adſcripſi, quòd facerent ad lucem Martialis. quem iamdudū odoratus ſum navigaſſe foſſas fluminis Padi, cùm hoc Epigramma in pigros remiges luderet. Nam totus ille tractus paluſtris, teſte Plinio: hodieque eſt ſimillimus Hollandiæ noſtræ, incilibus, ſcrobibus, fluentis ſtagnantibus intercíſus. Ideo placidas & tardas aquas vocat Martialis. Poëtam noſtrum ibi fuiſſe, declarat Epigramma XXV. lib. IV.

Æmula Baianis Altini littora villis,
Et Phaëthontei conſcia ſilva rogi;
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus:
Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo,
Hic ubi ſeptenas Cyllarus haurit aquas:
Vos eritis noſtræ portus requieſque ſenectæ,
Si iuris fuerint otia noſtra ſui.

Et cùm ederet librum hunc Tertium, Romæ non erat M. quod ipſe non uno loco indicat. Diſertè Epigr. I, IV, & V. Scriptum in Æmiliâ, ſeu Galliâ Togatâ, in Vrbem ad amicos miſit. Epigr. I.

Hoc tibi, quidquid id eſt, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ, &c.

Epigr. IV.

Romam vade, Liber. ſi, veneris unde, requiret;
Æmiliæ, dices, de regione viæ.
Si, quibus in terris, quâ ſimus in urbe, rogabit:
Corneli, referas, me, licet, eſſe foro.

Commoratus etiam Ravennæ. Epigr. LVI.

Callidus impoſuit nuper mihi copo Ravennæ:
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

Nullum itaque dubium eſt, quin de foſſis illis ſtagnantibus inter Ravennã & Altinum hîc ei ſermo. De *Vatreno* autem eum loqui, mihi nunc vix ſit veriſimile; cùm Plinius (ut vidimus) prodat Padi quoddam oſtium, magnitudinem portus habere, qui Vatreni dicitur, quo Cæſar Claudius prægrandi nave Adriam intraverit. Aliud ergo quiddam hîc inveſtigandum in locum *Vaterni* aut *Vatreni*. Et quærendum etiam quid pro *Reſina* ſive *Raſina*; vel *Ratina* aut *Retina* denique reponatur. Nam de iis, nihil mihi compertum. De *veterno* & *reſinâ*; quã lectionem Domitius ridiculè interpretatur: aut de *remorâ*, quod I. Bapt. Pio videbatur: nec de *Veientone Aſinaque*(quæ Turnebi emendatio eſt:) nec denique de Claveriano commento *Reſinâ Venetoque pigriores*, nihil nobis iam dicendum, cùm conſtet nomina fluentorum Padi in his latere, docente ipſo Martiale.

Ceſſatis pueri, nihilque noſtis,
** Veterno * reſinaque pigriores:*
Quorum per vada tarda navigantes
Lentos figitis ad celeuma remos.

Stupor eſt, hæc non animadvertere. Tamen Ramireſius inſultat Grutero, qui duo nomina rivulorum pervidit, & de iis lectorem monuit. Ignotos hos ſibi vociferatur, & ideo damnat Cenſor, legitque pro *Quorum*, *Quorſum*, additâ in fine verſus quarti poſt vocem *remos* interrogationis notâ. Stolide, & ridicule. Aperte dicit Martialis. nautas eſſe pigriores illis fluentis, quæ ipſi navigabant: in tractibus proculdubio Ravennæ, ubi Padus per multas lacinias finditur, aquis ſtagnantibus & pigris. Fuit, cùm putarem legendum:

Vatreno, Eridanoque pigriores; neſcio,

neſcio, an favente Æſculapio. Nam Varrenum Plinianum non modicum fuiſſe amnem, iam dixi: nec Eridanus fluit tam lentè & tardè. An locum hîc eſſe amni Aterno exiſtimabimus? de quo Plinius eiuſd. lib. cap. XIII. *Quinta regio Piceni eſt,* &c. *Picentes tenuêre ab Aterno amne, ubi nunc ager Adrianus, & Adria colonia.* Ita Gerardus Gontius apud Raderum legit, totumque verſum conſtituit:

Aternoque Sapique pigriores.

Aliquando etiam volebam:

Aternoque Vitique pigriores.

Nam de *Sapi* & Viti memineram legiſſe apud Plinium cap. XV. *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In ora fluvius Cruſtumium, Ariminum, colonia cum amnibus Arimino & Apruſa. Fluvius hinc Rubico, quondã finis Italiæ. Ab eo Sapis, & Vitis, & Anemo, Ravenna Sabinorum oppidum cum amne Bedeſe.* &c. Sed his emendationibus de *Sapi* & *Viti* nimium quantum receditur à Scriptis: in quibus *Raſinaque* & *Reſinique*. Pro *Veterno* in iiſdem reperio, *Vatro. Vaterno. Votrina.* οὐδὲν ὑγιές. De his fluviolis aut foſſis nihil liquet. Quæ nobis videbantur, in chartas, prout ſub acumen ſtili veniebant, coniecimus. Sed omnia incerta. Vos docti & ingenioſi cogitare. Vetus Itineraria Tabula ex muſeo Peutingeri, *Salernum* fl. haud procul hinc collocat. Expendatur & hic Æliani locus, Hiſtoriæ Animalium lib. XIV. cap. VIII. *Non procul ab urbe Patavio diſtat alia,* Βιτητίνη καὶ ἔστιν αὐτῶν, *quam fluvius* Ηρετενὸς *alluit, & terram non modicam prœterlapſus, tandem in Eridianum influit*. Fortè ΗΡΕΤΕΝΟΣ ſcriptum pro ΡΕΤΕΝΟΣ: quemadmodum HRENVS pro RENVS, & ſimilia. Bernardinus Scardeonius inter ignobiles agri Patavini rivulos recenſet *Teſinam*, Hiſtoriarum de Antiquitate urbis Patavii lib. I. capite De fluminibus & lacubus Patavinis. *A regione*, inquit, *Occidentali, ex Vicẽtinis per agrum Patavinũ delabuntur Teſina, & Cerſonus, Pudinaq; & alij ignobiles rivuli, qui Vicentinos à Patavinis diſterminãt.* &c. Credemusne rivuli nomẽ antiquũ nondum exoleviſſe, & legendũ apud Martialem? *Vatreno, Teſinaque pigriores.*

ATTEXTUS.

Cùm in Codicibus ſcriptis *Vatreni* manifeſta veſtigia deprehendam, in eamque lectionem ferè omnes libri conſpirent: religio ſit ab eâ diſcedere. Statuamus potiùs præter Plinii Vatrenum, cognominem fuiſſe alium rivulum. Quem Badrini nomine Paulus Diaconus Hiſtor. Longobard. lib. III. cap. XIX. extulit, & ſignatè magnarum navium impatientem fuiſſe innuit; in Epitaphio Droctulfi Ravennatium ducis:

Puppibus exiguis decertans amne Badrino,
Bardorum innumeras vicit & ipſe manus.

Circa annum Domini ıↄLXXX.

Ceſſatis pueri, nihilque môſtis.

Non poſſumus non aſſentiri huic emendationi Lipſianæ. Quod repeto, quia τὸ *noſtis* plurimis placere intelligam. *Moſtis*, inquam, omnino legimus. Nam qui negant hac ſyncope uti Martialem, ſimiles ſunt mulieri, quæ cùm balbam ſe negaret, in negando balbutiebat tamen. Nam *noſtis* nonne eſt ſyncope? Sic in libro Spectaculorum, Epigr. IX.

Quæ non promiſti prælia rhinoceros.

& lib. II. Epigr. LXIV.

Peleos & Priami tranſti vel Neſtoris annos.

Lib. III. Epigr. XXII.

Summâ venenum potione perduxſti.

Lib. IV. Epigr. LXI.

Emtas lacernas millibus decem dixti.

Et in eadem dictione, Lib. V. Epigr. XVI. & Lib. VI. Epigr. XXX. Præterea lib. V. Epigr. LXXIX.

Vndecies unâ ſurrexti, Zoile, canâ.

Lib. VII. Epigr. LVI.

Aſtra polumque tuâ percepſti mente, Rabiri.

Lib. X. Epigr. XXXI. & Lib. XII. Epig. XVI. *Addixti.* Delectarum hac Syncope Poetam non animadverterunt oſcitantes Grammatici: unde factum, ut ex ſuperioribus locis nonnulli hodieque in mendo cubent. Sed quæ noſtram aciem non fugerunt. Conſulantur, ſi placet, ad ſingula Notæ noſtræ.

Hîc,

Hîc, ſodes, quid cauſſæ eſt, quo minùs vero locus detur? *N*eque profectò laudamus, quòd queruntur *Ceſſatis*, non *Ceſſaſtis* legi. Quæ neceſſitas hoc exigit? Recte, recte *L*ipſius.

Quorum per vada tarda navigantes.

Corrigunt *Quorſum*: Mera ſtultitia. *E*t mirũ, quantum ſibi aduletur Ramireſius in hac futiliſsimâ cõiecturâ, adeo ut de veritate non dubitet iurare : & inſulter doctiſsimo Grutero, tanquàm hæc nomina fluviorum fingenti. *Hiſpanica* & puerilis vaniloquentia.

Vatrenus, inquiunt, in Plinio legitur, non *Vaternus*: & Forum Cornelii prætterlabitur. Itaque non fuerit ex fluentis *P*adi. *E*go tamen, quidquid obſtrepant, ita aliquod fluentum Padi vocatum cenſeo; ſicut alterum *Raſinam, Ratinam* ve, aut quidvis denique.

Ibidem.

Tutâ luditis otium cariná.

*M*anifeſtò conſtat, huius verſiculi mentem non capere Interpretes, quòd mendum non animadverterint. Quovis pignore contendam alterutro modo legendum. Aut,

Totâ luditis otium carinâ.

Aut (quia *ludere otium*, pro abuti otio, neſciam an Latine dicatur, velut *operam ludere*,) cum Editione principe, utraque Aldinâ, & aliis,

Tutæ luditis otium carinæ.

Vt pigros nautas *otium carinæ* vocet, quemadmodum Catullus ſcortum exoletum, *oblitum lupanar*: ſiquidem ita Scaligerum interpretantem ſequamur Carm. XLIII.

Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Non aſſis facis oblitum lupanar.
Aut ſi perditius pote eſt quid eſſe.

Vbi plerique codices, *ô lutum lupanar.* Vide in *Sextum* Varronis de L.L. & in Priapeiorum verſiculum:

Nigrâ fornicis oblitus favillâ.

EPIGR. LXVIII.

Si lenè te novi, longum iam laſſa libellum
Tenebas: totum nunc ſtudioſa legis.

Immo, *leges*. Eodem modo & acumine lib. I. Epig. CXV.

Iam ſuſpendia ſæva cogitabas,
Si novi benè te, Procille, vivis.

EPIGR. LXXII.

Es fatua, & non vis mecum, Laufella, lavari.

Hoc nomen alibi non legi, niſi in mendoſis Iuvenalis codicibus, de quo ad Epigr. LXXIV. lib. II. ubi *Saufeia* pro *Saufella*, & pro *Saufello* monuimus *Saufeium* reponendum. quemadmodum & heic fortaſſe *Saufeia* ſcribendum. Niſi quis *Laufeia* malit. Vetus Inſcriptio Caſini,

CN. AGRIVS. CN. L. POLLIO

L. LAVFEIVS. L. F. APOTHECA

IIII. VIREI. IOVR. DEIC

Et ſic meliùs forſitan in Iuvenale.

EPIGR. LXXVII.

——*Ut quid enim, Batice, ſaprofagis?*

Græcum eſt, σαπροφαγεῖς. Codices quidam, *coprophagis*, id eſt κοπροφάγεις.

EIPGR. LXX.

Cur aliena placet tibi, quæ tua non placet uxor?

Inficetius hoc præ quod in Cuiaciano & alio quodã Scripto meo, —— *cui ſua non placet uxor*. Mœchus hic Aufidiæ vocatur in membranis *Sceevinus*, aut *Scavinus*. Aliis *Cervinus*. Fortè *Scerinus* vero nomine appellandus. Hoc nomen in vet. Inſcriptione Beneventanâ, apud Gruterum pag. DCCV, II.

EPIG.

EPIG. LXXXII.

Effultus oſtro, ſericisque pulvinis.

Non deteriùs MSS. *pulvillis.* Horatius Epod. VIII.

Quid, quod libelli Stoici inter ſericos
Iacere pulvillos amant.

Ibidem.

Et delicatæ ſuſcitator urinæ.

Veterum omnium Edd. lectionem revocavi. Nam Iunii, & Gruteri *ſciſcitator*, merum eſt ſomnium.

Ibidem.

At ipſe retrò flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anſerum exta lambentes,
Partitur apri glandulas palæſtritis.

Cave *palæſtritis* τοῖς παλαιςρίταις intelligas. Nullus locus hîc ſanè Ramireſianis ſervis palæſtritis. Vide quid facis, ſi ſic accipis. Converſus ad pedum turbam partitur glandulas aprugnas palæſtritis. Quid opus converti ad pedum turbam, ſi palæſtritis, non autem ipſi ad pedes turbæ partiri illas vult? Quibus ergo partitur? inquies. pedum turbæ, pueris qui ad pedes & fulcra lecti. *Palæſtritis* autem genitivus pro *palæſtritae*, (quomodo Clariſſimo Lipſio Poliorceticôn lib. IV. Dialogo I. videbatur legendum, mutatione minimè neceſſaria) ut *Oreſtis*, *Euripidis*, & infinita talia apud bonos auctores & in monumentis antiquis. Vide Indicem Grammaticum vett. Inſcriptionum. Aprû *palæſtritam* dici nô mirabitur, qui meminerit in libris Varronis RerumRuſticarû *palæſtram* dici in villa ſeptûm, ubi apri incluſi erant. Lib. III. cap. XIII. *Vidiſti* (inquit) *ad buccinam inflatam, certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum, cùm è loco ſuperiore è palæſtrâ apris offunderetur glans, capreis vicia.* In quem locum conſulantur Scaligeri Coniectanea iuvenilia.

Ibidem.

Ibidem.

Vel cocta fumis muſta Maſsilitanis.

Ita omnino legendum. Non monerem, niſi viderem præteritum diligentiſſimo Grutero: in cuius editione *Maſsilianis*, manifeſto errore, & qui legem carminis violet. Vidit id etiam nuper Stephanus Claverius, ſed mendum penitus non ſuſtulit, cùm legit *Maſsilaanis*. Mihi probior lectio, *Maſsilitanis*; meliorum Codicum, etiam typis editorum, conſenſu firmata. Sic Aldus in editione anni M.D.XVII. nam in priore anni M.D.I. perperam *Maſsilianis*, cum editione principe, Colinæi, Vaſcoſani, & aliorum. Rectè Boulierius & Sebaſtianus Gryphius *Maſsilitanis*. Sic lib. XIII. diſticho à fine quinto lemma à nobis impoſitum è fide libri Scripti, *Maſſilitanum*. ubi vulgo *Maſſilianum*. Quid multis? ita ſcribendum, ipſa ratio exigit. Vitruvius lib. x. cap. ult. *Maſſilia cum oppugnaretur, & numero ſupra* XXX. *ſpecus tum agerent, Maſſilitani ſuſpicati*, &c. Maſſilitanos, ſive Maſſilienſes uſitatiore loquendi conſuetudine, vina fumos bibere inſtituiſſe; non uno loco arguit Martialis. Lib. x. Epigr. XXXVI.

Improba Maſſiliæ quidquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

Lib. XIII. Epigr. CXX.

Cùm tua centenos expugnet ſportula cives;
Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Lib. XIV. Epigr. CXVI.

Maſſiliæ fumos miſcere nivalibus undis
Parce puer, conſtet ne tibi pluris aqua.

Erant vina vilia, & parvi pretii.

Ibidem.

Hos Malcionis patimur improbi faſtus,
Nec vindicare, Rufe, poſſumus? fellas.

In omnibus vulgo hactenus excuſis, & Scriptis, quotquot ſunt, diſerte *fellat* legitur. Scripſimus tamen *fellas*. In quo magno Scaligero morem

gesſimus;

geſſimus: qui nobis olim, hanc Notam in ſcriptis dedit, utiliter noſtris inſerendam. Verba Herois ſunt: *P*rætextatum quod in fine eſt verbum, in ſecundâ perſonâ efferendum. *Et* hoc non ſemper obſcœnè ponebatur: ut neque hîc ita accipiendum. Hoc enim dicebatur in eos, quos ineptire, nugari volebant dicere. Ideo etiam ſtultos & ineptos, vocabant homines *ſpurco ore*: quamvis non facerent, quod verbum illud præ ſe fert. *N*eque, inquit, ab hoc tædio illius Trimalcionis nos vindicabimus? Nugaris, & ineptus es homo, niſi aliquo ſtrenuo facinore nos liberemus. Hactenus magni Viri ſcheda. Qui in Catullianis etiam ſuis de hoc more loquendi quædam annotavit, Carm. x. ubi Prætor quidam dicitur *irrumator*, pro homine nihili. Rutgerſius noſter legendum cenſet,

Nec vindicari, Ruſe, poſcimus. fellat.

Vt ſit ſenſus. Quereris ſine cauſſâ Rufe, quòd Zoilus, quem *M*alcionem vocat ad exemplum fortè Trimalcionis Petroniani, inter alios convivii faſtus convivis calicem ſuum non propinet. Non hoc ægrè ferendum, inquã, nam cùm infando oris vitio laboret, quis vellet, ex eodem calice potare? *N*imirũ hoc illud eſt, quod de Hermo lib. II. *E*pigr. XV.

Quòd nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Herme, non ſuperbè.

EPIGR. XCI.

Suppoſitam, fama eſt, quondam pro virgine cervam:
At nunc pro cervo mentula ſuppoſita eſt.

Legendum ex antiquioribus libris *cervo* pro *puero*, primus omniũ docuit nugaciſſimus ſcriptor *P*etrus Crinitus lib. XIX. De Honeſtâ diſciplinâ, cap. VIII. Cui nihil ferè boni præter hoc in toto illo opere excidit; *Cervo* etiam eſſe in libro ſuo vetuſtiſſimo monuit ad Feſtum Pompeium Fulvius. Fugitivos veteres *cervos* appellabant. Feſtus Pompeius: *Servorum dies feſtus vulgo exiſtimabatur Idus Auguſti, quòd eo die Servius Tullius natus adem Dianæ dedicaverit in Aventino, cuius tutelæ ſint cervi, à quorum celeritate fugitivos vocant cervos.*

EPIG.

EPIGR. XCII.

Pectus cicadæ, cruſculumque formicæ.

Optimè, nec mutandū. *crus celerque* formicæ, quod in Iunii Anglicano, Gruterianis duobus, & Bongarſiano: quibus & plerique mei accedunt, nihili eſt. Plautus Ciſtellariâ, apud Feſtum & Priſcianum:

Cum extritis talis, cum todellis cruſculis.

Todi ſunt, Feſto, aves parvæ, & todilli. Cauſæ non eſt, cur mendoſos Codices hîc ſequamur.

Ibidem.

Regelare nec te peſtilentia poſſit.

Emendat vir magnus in orâ libri ſui, *poſſis*. Alius, *peſtilentiæ poſſint*. Fruſtra. nullâ opus interpolatione. Refero τὸ *poſſit* ad menſem Auguſtum, cuius præcedenti verſiculo fit mentio. Vt dicat Poëta, Vetuſtillam anum frigidam ne Auguſto menſe regelati poſſe. Ideò verò Auguſtum dicit, quod menſe hoc maximè ferveat ac peſtilens aer ſit. & potiſsimùm lues iſta graſſetur ac regnet. Niſi *peſtilentia* ſit ablativus, non ſubſiſteret carmen.

Ibidem.

Audes ducentas nuptumire poſt mortes.

Ei li placuit *nuptumire*. atque ita ſemper coniunctim ſcribebant; vel, quod idem eſt, *nuptuire*. Vtrovis modo ſcripſeris, ex conſuetudine priſcâ feceris. Omnes retrò cuſi,

Gaudes ducentas nuptum ire poſt mortes.

Quam lectionem in peius convertunt ſcioli, qui ſcribunt:

Gaudes ducentas nupturire poſt mortes.

Imò manifeſtus barbariſmus eſt. Non magis enim poſſum dicere *gaudeo nupturire*, quàm *volo nupturire*. Otioſum quippe verbum eſt *volendi*, cùm ipſum *nupturire*, ut Grammatici loquuntur, ſit deſiderativum. Qualia ſunt, *Empturire, ſcripturire, cænaturire, cacaturire,*

cacaturire, &c. Quare rectè *nuptuire*, aut *nuptumire*. Sic *datum iri* & *datu iri*. Pleni ſunt Pandectarum Iuris libri Piſani, ſeu Florentini. Vide Antonium Auguſtinum libris Opinionum, & in Varronem de Re Ruſticâ Scaligerum.

Ibidem.

Sternatur à Coricle clinico lectus.

Debetur hæc feliciſsima & quantivis pretij emendatio incomparabili Scaligero, Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. IV. Depravatiſsimè vulgò in omnibus:

Sternatur à Coride triclinio lectus.

Stephanus Claverius legit,

Sternatur Achorei de triclinio lectus.

Ego poſt aſellum diaria non ſumo. Vide tamen quomodo argutetur, & coniecturam ſuam exponat, in Floſculis ad hunc locum.

Ibidem.

Thalaſsionem qui tuum decet ſolus.

Ita legendum iam monuerat accuratiſſimus Gruterus, cùm à prima uſque editione paſſim in libris (etiam in Aldinis, Colinæanis, Gryphianis, & Iunianis) regnaret *dicet ſolus*, repugnante verſu. Ramireſius quantitatem ſyllabarum non admodum curare videtur, cùm *dicet* retinet atque interpretatur.

EPIGR. XCV.

Quod prior & corvus dicere ſæpè ſolet.

Obſedit hactenus codices grave mendum, cùm legeretur *Curius* pro *corvus*, quod à Grutero correctū, & iamdudum à Scaligero animadverſum erat in Manilianis. Nempe *Curius* iſte exſculptus eſt ex MSS. *curuis*, quomodo etiam Elitio omnium prima: poſt ſequutæ *Curius* ediderunt. In aliis ſcriptis eſt *curvus*: undè vera lectio *corvus*. De corvo ſalu-

tatore

tatore *Martialis* lib. XIV. Epigr. LXXII; De corvo quæ Auguſtum victorem ſalutaviti, itemque de altero qui inſtitutus erat dicere, *Ave victor imperator Antoni*, legendus Macrobius Saturnal. II. cap. IV. Commentatori Hiſpano *Curius* placet, pro quovis nobili & gravi viro, per *Synecdochen* ſcilicet. Miror equidem, miror, hærere illum in hoc tam vili luto, cùm longe melior atque elegantior lectio iam vulgo expoſita eſſet. Sed nimium odium in Gruterum facit, ne conſulat eius editionem, aut ſaltem ne velit uti. Non igitur mirùm eſt, ſi vulgatam lectionem ſequens, ſtultam interpretatiònem adhibuerit.

P. SCRI-

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. IV.

EPIG. IV.

L*Aſſi Bardiaci es quod evocati.* Hæc genuina Martialis lectio, quam ei ex Editionibus exoletis reſtituere non dubitavimus. *Nec* audimus facilè reclamantes & diſſentientes. *Equidem* Aldum miror, cùm anno MDI. edidiſſet *Bardiaci es*, poſt in iteratâ editione eum feciſſe *bardiacus*: quod placere etiam video *Domitio* Calderino, & aliis. Colinæus, Gryphius, Vaſcoſanus, Boulierius, & quidam alii cum nobis faciunt. Gloſſæ Latino-Græcæ: *Bardei*, Ἰλλυρικοὶ δῦλοι, οἱ ϗ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆ Ἰταλίας, κατὰ Κίννυ καὶ Μαρίυ στρατευσάμενοι· καὶ ἐκ τύτυ τυραννῆσαι κατὰ τῶ δεσποτῶν. τύτυς Σερτώριος δόλῳ περικυκλεύσας ἀναιρεῖ. Plutarchus in Mario: Ἀφεὶς τὸ πλάσμα ϗ τὴν φυγαδικὴν ἐκείνην δικαιολογίαν, κατῄει δορυφόρυς ἔχων λογάδας ἐκ τῶ προσπεφοιτηκότων δούλων, οὓς Βαρδιαίυς (melius Βαρδαίυς) προ[illegible]όρευεν. Οὗτοι πολλὺς μὲν ἀπὸ φωνῆς, πολλὺς δὲ ἀπὸ νεύματος ἀνῄρυν, προστάσσοντος αὐτῦ. Id eſt: *Abiectâ ſimulatione & exſilij cauſatione, urbem intravit, circumſeptus delectis ſervis, qui ſe contulerant ad eum, quos Bardiaos appellabat. Multos hi ad vocem eius, multos ad nutum imperantis obtruncabant.* Ad quem locum viri docti fatentur, ſeig-

 notare

norate quæ ratio ſit nominis *Bardiai*. Poterant illos, ſi extitiſſent, vel ſolæ doctiſſimæ iſtæ Gloſſæ docere, & rem totam patefacere. Bardæi Illyrici ſive Dalmatiæ populi. Straboni & Appiano corruptè ἀρδιαῖοι. Ptolemæo Οὐάρδαιοι. Plinio *Vardæi*, quos Italiæ quondam populatores vocat, lib. III. cap. XXII. Epiſtolarum Ciceronianarum ad Familiares libro V. in Epiſtola ad Ciceronem P. Vatinius Imp. *Dicitur* (inquit) *mihi tuus ſervus anagnoſtes fugitivus cum Vardæis eſſe: de quo tu mihi nihil mandaſti. Ego tamen terrâ marique ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, niſi in Dalmatiam aufugerit; & tamen aliquando eruam.*

Ibidem.

Malles, quàm quod oles, olere Baſſa.

Præſtat ſequi quorundam Codicum ſcripturam, *Mallem*.

EPIGR. VI.

In Maliſianum. Ita repoſui ex optimo Codice, & infra *Maliſiane*. In pervulgato *Maſſiliano* non conſtat pedis ratio. Quare Aldus in ſecundâ Editione *Macilianum* ſuppoſuit *Maſſiliano* prioris Editionis. Alii *Macelliane* ſcribunt.

EPIGR. VII.

Cur here quod dederas, hodie puer Hylle negaſti.

Nomen hoc per duplex *ll* ſcribendum, ſuperius monuimus. Perperam *Hyle* retro cuſi omnes.

EPIGR. XXII.

Condita ſic puro numerantur lilia vitro,
Sic prohibet teneras gemma latere roſas.

Incunctabundus ſcribe, *tenuis gemma*. Cui lectioni ſubſcribunt aliquot Codices manu exarati.

EPIG. XXIII.

Gratùm quiſve epigramma comparabit.

Non dubia hæc emendatio. Vulgatorum omnium lectio eſt, *Gratum*. Putidè. Nemo adhuc correctorum

rum (quod mirere) mendum odoratus eſt: cùm tamen abſque hac emendatione Epigramma prorſus frigeat: & *Graium* legi omninò neceſſum ſit. Non opus eſt interprete. Sequentia docent.

EPIGR. XXVI.

Tricenos, puto, bis, vicenos ter, puto, nummos.

Meo animo melius, ſi ſcribamus:

Tricenos puta bis, vicenos ter puta nummos.

Veteres eam ſyllabam corripere interdum, exemplis ſupra aliquot patefeci. Ad ſenſum quod attinet. Ramireſius ait Martialem perdidiſſe ſexaginta nummos. Imò bis ſexaginta. Nam bis triceni, & ter viceni, ſunt cxx. Intellige autem ſeſtertios. In toto anno inquit te non vidi, nec officium in togâ præſtiti. Vnius igitur anni ſportulas amiſi. Quæ cùm ſint cxx ſeſtertii, fient xxx denarii annuarum ſportularum. Itaque diurna ſportula fuerit tantùm quadrantem $3\frac{69}{73}$ Putamus ne tam exiguam quotidianam ſportulã fuiſſe, quæ ut minimum ſolebat eſſe C quadrantum? Hoc explicandum erat. Quando apud veteres legimus *nummum* abſolutè, manifeſtum & indubitatum eſt, ſeſtertium intelligi. Nam ſi quadrantes dixiſſet, minùs mirum eſſet, cxx quadrantes diurnos accipere in ſportulam.

EPIGR. XXVII.

Sæpè meos laudare ſoles, Auguſte, libellos.
Invidus, ecce, negat: num minus ergo ſoles?

Cædam hic egomet mea vineta. Ingenuè culpam profiteor, me aliud egiſſe cùm ita reſcriberem, neſcio cuius Codicis fidem ſequutus. Sed ſocios erroris habeo Raderum & Muſambertium, qui ita quoque legunt. Ridiculè. Vulgata optima eſt: *non minus ergo ſoles*. abſque interrogatione. Sed condonabitur facilè nobis hic error, ſi comparabimus eum cum hallucinatione *Ramireſii*, qui *ergo* purum putum ἔργῳ dicit eſſe: ut

ſit; *non minùs reapſe.* quemadmodum etiam accipit penultimo huiuſce libri Epigrammate,

Ἔργῳ nec argenti ſex ſcriptula Septitiani.

Quis riſum abſtineat? Imò, quis nos ſeriò indignetur, & ringatur? Profectò actum eſt de literis.

EPIGR. XXVIII.

Nudam te ſtatuet tuus Lupercus.

Ridiculus denuò Hiſpanus. Ait quæſitum iocum in nomine. *M*era diliria.

EPIGR. XXIX.

Tu quoque de noſtris releges quemcunque libellis.

Coniecturam elegantiſſimi viri Richardi Thomſoni, notatam in orâ codicis ſui, quòd mirè nobis placeret, textui immiſimus, vicem vulgg. *releges quæcunque.* Ita etiam legendum monet Ramireſius, & addit, *Hanc emendationem ſibi tribuit Raderus.* Profectò ſi ipſe eſt auctor eius emendationis, iure ſibi tribuit. Quòd autem iſte Hiſpanus ſibi tribuat, eam ex lege Atiniâ vindicare poteſt Raderus.

EPIG. XXX.

Et piſces venerare dedicatos.

Inſuperhabenda Palatini & illorum codicum auctoritas, qui hîc conſtanter *delicatos* præferunt. Nam vitium librariorum eſt *delicare* pro *dedicare* ponere, & contra. Hoc tritiſſimum eſt. *Dedicatos.* interpretor καθιερωμένους & conſecratos. Nam initio *Sacros* vocavit, verſiculo tertio:

Sacris piſcibus hæ natantur undæ.

Videndus Athenæus Deipnoſophiſt. VII. Varro de Re Ruſticâ lib. & cap. ult. etiam *piſcium ſacrorum* meminit. Verba eius ſunt: *Plurimam, ut Pauſias & cæteri pictores eiuſdem generis, loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ: ſic hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habent piſces; quos proinde ut ſacri ſint, quàm illi in Lydia,*

quos

quos ſacrificanti tibi Varro ad tibicinem Græcam gregatim veniſſe dicebas ad extremum litus atque aram, quòd eos capere auderet nemo, cùm eodem tempore inſulas Ludianorum ibi Chereuſas vidiſses. Sic hoſpiſces nemo cocus in ius vocare audet. Hæc doctiſſimus Togatorum. Quæ unicè huc faciunt: & mutuo ſibi lucem fœnerantur.

EPIGR. XXXI.

Non ſemper bellè dicitur Hippodamus.

Non hoc loco tantũ, ſed multis aliis, prodit ſe ignarum metrices Ramireſius. Nam quid ſtultius potuit dicere, quàm *Hippodamus* nõ niſi in pentamẽtrũ poſſe recipi, idque in fine? Quis hoc ferat? Quid, quòd Martialis hoc non vult? Innuit enim hoc nomen *Hippodamus* non ſemper placere. Quare? quæratur. Ego neſcio. Fortaſſe proverbium eſt Græcum.

EPIG. XXXVI.

Cana eſt barba tibi, nigra eſt coma. tinguere barbam
Non potes, hac cauſſa eſt: ſed potes, Ole, comam.

Iuveniliter exultat hîc more ſuo Hiſpanus. Ait neminem inveniſſe ſe, qui hoc diſtichon intellexerit. Explicationem eius recitare non ſinit me pudor meus. Sed tam abſurda, quàm ſpurca eſt ratio, quàm reddit. Non videtur ſanè adeo ſcurrile, uti ille cenſet. Cæterùm, ut ingenuè quod res eſt fabuler, non capio hoc *Epigramma*. Muſambertius cauſam quidem honeſtam, neſcio an veram, adfert. Olus ille, inquit, comam tingere poteſt quia comam alit: barbam non poteſt, quia non paſcit barbam, neque ritus Romanus eam paſcere permittit. Barbas in reatu tantùm ali ſolitas, tritiſſimum eſt; & Hadrianum de Principibus primum fuiſſe qui barbam paverit. Hæc ille. Atqui Martialis diſertè reclamat, & dicit Olo canam barbam fuiſſe. quomodo cana, ſi barbam non paverit, aut eâ caruerit?

EPIG. XXXIX.

Solus Praxitelus manus, Scopaque.

Cùm vulgò legeretur *Praxitelis*, repoſui ex optimo Codice *Praxitelus*. Πραξιτέλους. Sic *Cleanthus* apud Varronem Sat. Menippeâ, Longè fugit qui ſuos fugit: *Si ad hunc characlera Cleanthus conveniet, cave attigeris hominem.* Vbi nihil temerè mutandum.

Ibidem.

Nec deſunt tibi vera Grantiana.

Ex fide eſt eiuſdem Codicis. Vulgò *Glaniana*. Domitius *Graniana*. Alij Scripti, *Gratiana*. quomodo etiam apud Plinium legitur; ſed ex bonis codicibus Martialis *Grantiana*. reſtituendum videtur, principio Capitis XI. lib. XXXIII. *Vaſa ex argento* (verba ſunt magni myſtæ Naturæ ac morum cenſoris) *mira inconſtantia humani ingenij variat, nullum genus officinæ diu probando, nunc Furniana, nunc Clodiana nunc Gratiana (etenim tabernas menſis adoptavimus) nunc anaglypta, in aſperitatemque exciſa, circa linearum picturas quærimus.* Legendum, inquam, *Grantiana* videtur. Vulgatum tamen non temerè ſpreverim: & fortaſſe ſic in Martiale etiam ſcribendum. Vaſa *Furniana, Clodiana, & Grantiana,* ſive *Gratiana*, ab auctoribus & cælatoribus ita ſunt appellata. Cælaturæ Clodianæ meminit egregium monumentum vetus Romanum, deſcriptum olim Mazochio in baſilicâ Lateranâ:

D. M.

M. CANVLEI. ZOSIMI

VIXIT. ANN. XXVIII.

fecit. patronus. lib. benemerenti.
hic. in. vita. ſua. nulli. maledixit

ſine

ſine.voluntate.patroni.nihil.fecit
multum.ponderis.auri.&.argenti
penes.. eum. ſemper. fuit
concupijt.ex. eo.. nihil. vnquam

HIC.ARTE.IN.CAELATVRA.

CLODIANA.EVICIT.OMNES.

EPIGR. XL.

Pauper eras,& eques,ſed mihi conſul eras.

Lege meo periculo, *Pauper eras, ſet eques*. Huiuſmodi mendas in hoc Auctore aliquot locis habemus indicatas ferè à nobis omnes, niſi fallimur. Eodem errore apud *S*tatium in Balneo Hetruſci, Sylvar. I. hactenus mendoſè lectum,

Iunge puer cyathos,atque enumerare labora.
Tò atque à correctore *D*omitio eſt, cùm vetus omnis lectio pro eo haberet *&*, hoc modo:
Iunge puer cyathos,& enumerare labora.
Manifeſto vitio; quod melius tolles legendo:
Iunge puer cyathos,ſet ne numerare labora.
De qua emendatione meminimus Ianum Caſperem Gevartium noſtrum opportunè nuper monuiſſe, cùm is politiſſimas ſuas Lectiones Papinianas luci & poſteritati adornaret.

Ibidem.

Communis nobis lectus & unus erat.

Commentator Hiſpanus hîc Lamiæ turres & pectines *S*olis. Nihil videt. *Communis lectus*, diſcubitorius non dormitorius.

EPIG. XLII.

Niliacis primùm puer is naſcatur in oris,.
Ita ſcribendum putavimus, pro vulgg. *hìs*. Poteſt

& *hic* legi cum principe Editione, & nonnullis aliis. Puerilem errorem non animadverſum à nuperis Cenſoribus, miror.

EPIGR. XLIII.

Iure per Syrios tibi tumores.

Meræ nugæ de *Syriis tumoribus*, â Cybele immiſſis. Nam unde Cybele Syria, quæ erat Phrygia? Nugæ. Hic locus abundè explicatur in *Manilianis* Scaligeri. Viſe in Apoteleſmaticum pag. 344, & qui totum Chaldæorum *Syrorumque* μυθολόγημα diligenter nuper excuſſit, Ioannem Seldenum, erudito de DIs Syris *Syntagmate*.

EPIGR. XLVI.

Et ficus Libycâ gelata teſtâ.

Teſta non cutem ficuum, quod vulgo Interpretum placet, ſignificat, ſed figlina teſta eſt, in quâ condebantur ficus, Caricæ, Coctana, Damaſcena. Exempla obvia ſunt. Lib. III Epigr. LVIII.

Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis.

Epigr. LXXXVIII. huiuſce libri:

Teſta rubet nec qua cottana parva gerit.

Epigr. XVIII. lib. V.

Et acuta ſenibus teſta cum Damaſcenis.

Lib. VII. Epigr. LII. ubi etiam teſta fico Lybicæ attribuitur:

Et Libyca fici pondere teſta gravis.

EPIGR. LII.

Geſtari iunctis niſi deſinis, Ædile, capris.

Scribendum *Hedyle*, ad Epigr. XLVI. lib. I. indicavimus.

EPIGR. LIV.

Nil adicit penſo Lacheſis, fuſoſque ſororum
Explicat, & ſemper de tribus una ſecat.

Ita

Ita potius legendum videbatur, quàm *necat*: quod occupavit omnes Editiones. *Lacheſis de tribus una ſecat*: ut lib. IX. Epigr. LXXVI.

——invidit de tribus una ſoror,
Et feſtinatis incidit ſtamina fuſis.

Ea eſt Lacheſis. Vt eiusdem libri Epigrammate LXXXVI.

Aſpice Tarpeium, Pallatinumque Tonantem;
Auſa nefas Lacheſis læſit utrumque Iovem.

Et alibi:

Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos.

Id eſt, cùm iam pertextâ vitæ telâ ſtamen inciderit Lacheſis, & ex fatali decreto diebus omnibus impletis mortuus ero;

Non aliter cineres mando iacere meos.

EPIGR. LV.

Luci, gloria temporum tuorum.

Ita libuit reſtituere auctori veterem lectionem, reiectâ Gruterianâ:

Luci, gloria temporum duorum.

Præteriti nempè & præſentis. Audio, ſed non placet. Mendoſi ſunt illi Codices, etiam mei quidam Scripti. *Tuorum*, non *duorum*, vera atq; indubitata lectio eſt. Sic alibi:

Irus tuorum temporum ſequebaris.

Lib. XII. Epigr. XXXII.

Ibidem.

Qui Graium veterem, Tagumque noſtrum
Arpis cedere non ſinis diſertis.

Admovi manũ iſti loco, ſed neſcio an ſalutarẽ. Cùm vulgo eſſet *Gaurum*, feci *Graium*. Nam quis ſit iſte *Gaurus*, mons an fluvius, nemo hactenus ſcire potuit. Quod quidam *Gravium* putat, & dicit fluvium Hiſpaniæ ſuæ apud Plinium, lib. IV. cap. XX. delirat. *Gravios* enim Plinius populos memorat, non *Gravium* amnem.

Silius lib. I.

Hic certant Pactole tibi Duriuſque, Taguſque;
Quique ſuper Gravios lucentes volvit arenas
Inferna populis referens oblivia Lethes.

Et III.

Et quos nunc Gravios, violato nomine Graiûm,
Oenea miſere domus, Ætolaque Tude.

Ad quem locum Silii video Claudium Dauſquei-um quoque monere *Graium* in Martiale legendum. ut *veterem Graium* dicat, quia lapſu temporis nomen ei ſyllabâ auctius, *Gravius*. Sed fluminis *Graij*, ſive *Gravij*, quis tandem meminit? Non Plinius, non Silius, qui ambo populos eo nomine recenſent. Deſignat quidem Silius priore loco fluvium, quem Gravios perfundere dicit, ſed nomen diſſimulat: niſi fortaſſe Lethe is ſit, cognominis inferno fluvio Oblivionis. Quod puto verum eſſe. Innuit populos Gravios Hiſpaniæ fluvio Oblivionis, ſive Lethes conterminos, atque eius potores, quo (an auro?) animoſiores nempe fiunt, & mortis contemptores. De Hiſpanis Silius?

Prodiga gens animæ & properare facillima mortem.

Et de iiſdem Iuſtinus ex Trogo: *Corpora hominum ad inediam, laboremque: animi ad mortem parati. Bellum, quam otium malunt. Si extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt.* Eadem Strabo lib. III. & tali ingenio eſſe hodieque Hiſpanos, nimis quam verum.

Ibidem.

Hac tam ruſtica malo, quàm Bituntos.

Illud *Britannos*, quod alii ſubſtituerunt, mihi nondum placere potuit. Quare *Bituntos* malui. quomodò in pleriſque libris Scriptis, *Britannos* aſſerente vix uno alteroque Codice. Sed cur *Bituntos* præoptaverim, dicam in ſingulari libello DE DUBIIS MARTIALIS LOCIS. Vide Epigr. XLVIII. lib. II.

EPIG.

EPIGR. LVII.

Ergo ſacri fontes, & littora grata valete.
Ita recte Gruterus; cuius odio Hiſpanus nõ admittit veram lectionem, & tuetur cum vulgo *littora ſacra*

EPIGR. LVIII.

Num plorare pudet te, puto, Galla virum?
Ita Iunius & Gruterus. ſed ſequendi potius Codices, qui abſque interrogatione ſcribunt:
Nam plorare pudet te, puto, Galla virum.
Prope eſt, ut iurem ita legendum eſſe. Nam per interrogationem legi non poſſe, oſtendit verbum, *puto*.

EPIGR. LIX.

Fluxit in obſtantem ſuccina gemma feram.
Duo MSS. *ſuccina gutta*, meo iudicio melius omnino delicatiuſque. Sic lib. VI. Epig. XV. de formicâ electro incluſâ.
Dum Phaëthontea formica vagatur in umbrâ,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Ambroſius lib. II. Hexaem. *Quid autem tibi referam quod electrum lachryma virgulti ſit.* &c. *folia & minutiſſima foliorum portiones, aut exigua quædam animalia in electro ſæpè reperiuntur, quæ videntur cùm adhuc gutta eſſet mollior recepiſſe, & ſolidata retinuiſſe.*

EPIGR. LX.

Ardea Solſtitio, Caſtranaque rura petantur.
Præpoſui *Caſtrana* rura *Paſtanis*; quomodo hactenus editum. Pæſtum commendatur à roſariis biferis, non à receſſu: & præterea longiſſimè inter ſe diſtant Ardea & Pæſtum. Quare veram lectionem puto, quam habet optimus liber, *Caſtranaque rura*. Sed utrum Caſtrum Inui (de quo Rutilius Numatianus in Itinerario; Servius ad Virgilium, atque alii) an aliud, quod propius Roma abſit, eruditorum eſto iudicium. Ager *Caſtranus* in provincia Piceni nominatur in collectione libelli de Coloniis, & Limitibus agrorum.

EPIG.

EPIG. LXI.

Aliquando narra quod, Mancine, velimus.
Locum vitioſiſſimum arguit lex carminis. Quare reponendum putavimus, *quod velimus audire.* quam lectionem Iunius margini appoſuit ex V. C. Cui cur non obtemperatum?

EPIGR. LXVI

Egiſti vitam ſemper, Line, municipalem:
Quâ nihil omnino vilius eſſe poteſt.
Lego omnino, inquit Cenſor Hiſpanus,
Quâ nihil omnino durius eſſe poteſt.
Cùm intempeſtivum nempe eſſet pervulgatum illud *dulcius*. Ecquis ferat hoc ſomnium? Hoc modo Martialis vituperaret vitam, quam laudare inſtituit. Laudat autem, quòd non περίεργος ſit, ut urbana, ſed ſimplex, & minimè ſumptuoſa. Ergo rectè Gruterus ex auctoritate trium veterum librorum emendavit, *Vilius.* Id eſt, egiſti vitam minùs ſumptuoſam, ut lib. VII. Epigr. XXVII. *vilius eſurio.* id eſt, minore ſumptu cœnam mihi conſtare velim. Et toto hoc Epigrammate patet, quid ſit τὸ *vilius.* Non intellexit iuvenis Criticus: & iniquus eſt præſtantiſsimo viro ſine cauſſa. Gruterus (inquit) ex trium, ut ipſe teſtatur, manuſcriptorum fide, *vilius* reponit; de codicum fide, fides ſit penes eum. Aufer cavillum, & reſipiſce. Stultiſſima profectò tua correctio, & expoſitio quam adhibes. Τὸ *vilius* auro contra carum, etiam mearum membranarum fide ſubnixum, quare reiiciamus? Commentum tuum vaniſſimum, non invenies, niſi fatuos, qui probent.

Ibidem.

Incaluit quoties ſaucia vena mero.
Ita reponendum, ut antea. Nam in quibusdã membranis vitioſe *turba*, repetitum ex præcedentibus. Magno iudicio & otio opus eſt in Veteribus libris excutiendis.

EPIG

EPIGR. LXVII.

Onabat canâ notus amiciâ.

Rectè vulgo, *carâ*. ſed meliùs quidam Scripti, *canâ*. quod amplector.

Ibidem.

Prætor ait, Scis me Scorpo Thalloque daturum.

Thallo, nō *Thalio*. Monuit olim Lipſius. Thalli mētio in vet. pulcherrima, ſed (quod dolendum) mutila Inſcriptione, in campo Martio. ubi inter alia: *Augens gloriam tituli ſui, præceſſit Thallum factionis ſuæ, qui primus in factione Ruſſatâ*. Ibidem: *Flavius Scorpus victor* II. XL. VIII I. Scorpi huius multa mentio & geminum Epitaphium lib. x. Vide Epigr. L. LI. & LXXIV. De Scorpo etiam (equo fortaſsis, non agitatore) lib. v. Epigr. xv. & Lib. XI. Epigr. I.

Ibidem.

Quod non vis equiti, vis dare, Prætor, equo?

Scorpus & Thallus erant agitatores Circenſes. alebant igitur equos. quod Græcè eſt ἱπποτροφεῖν. res ſumptuoſiſsima. Prætor igitur iis dabat centum millia ad impenſas ἱπποτροφίας. proinde dabat equis alendis. Plana eſt expoſitio: de quâ ne moroſior quidem queri poſsit. At Hiſpanus de ſtatuâ equeſtri, neſcio quid adfert: quod ut nemo capere, ita neque probare poteſt.

EPIGR. LXX.

Nihil Ammiano, præter aridam veſtem
Moriens reliquit ultimis pater ceris.

Acutè ſatis ex Idiotiſmo Hiſpanico & Gallico (Belgis etiam uſitatiſſimo, cùm panem nudum, nullo alio cibo adiuncto, dicunt drooch broot, id eſt aridum panem) *aridam veſtem* (quæ vulgata lectio eſt) defendit Ramireſius. Neq; ego eam præfractè damno. Tamen valdè placet coniectura Lipſii, *aridam veſtem*

reſtem reponentis. Quomodo etiam habere antiquiores codices, Domitio notatum in Commentariis. Teſtamento itaque legat pater filio aridam reſtem, an laqueum, quo ſe ſuſpendat; an alium in finem ea funis? Quæratur. Notanda interim quæ nuper eruebam ex antiquiſſimis Scholiis Cruquianis in Horatium, lib. I. Epiſt. VIII. *Luthienus Theonis* (inquit doctiſſimus Grammaticus) *libertinus, dicacitatis amaritudine, præter cæteros, ita patronū ſuum exaſperavit, ut domo eius ſummoveretur, & quaternario legato iuberetur* RESTEM SIBI PALVMQVE EMERE. Sic ingratis libertis reſtem & clavum legata, aut imprecata, ex veteribus Inſcriptionibus diſcimus. Romæ in hortis Iulii III. Pont. Max. ad viam Flaminiam, tabula marmorea, ſuperiori parte (ut videtur) violata, hanc præclaram Inſcriptionem præfert:

C. VIVS. PATER.

natus. miſer. deſiderio. natae. diem.
&. noctem. cum. lacrimis traxit.
vitam. malam. mortuum. me. quoque. funerari. iuſsi. rebus. lugubrIs. quibus.
vIvos. paravi. lecto. ſtragulis. forenſIs.
paenula. nigris. omnibus. oſſa. mea. in. arā.
mixta. cum. filiae. una. requieſcunt. hoc
ſolacium. mecum. erit. circa. aram. libertis. libertabusque. poſterisque. eorum. &.
quibus. permiſerinT. hac. lege. ut. quotiens.
quis. eorum. ſuis. coronas. ponenT. &
aram. noſtram. coronent,

ATIMETO. LIB. CVIVS. DOLO. FILIAM.
AMISI. RESTEM. ET. CLAVOM.
VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET

In eadem Pontificis vinea a tergo aræ elegantiſſimæ leguntur iſta marmori inſcripta:

HIC

HIC STIGMATA. AETERNA. ACTE. LIBERTA. *ſcripta. ſunt. venenariæ. &. perfidae. doloſae duri. pectoris* CLAVOM. E T. RESTEM. SPARTEAM. VT. SIBI. COLLVM. ALLIGET. &c.

Videatur Smetius, qui fideliter deſcripſit: aut Gruterus, ſi mavis, Pag. DCXCI, 9. & DCCXV, 10.

EPIGR. LXXI.

Quæro diu totam, Sophroni Rufe, per urbem.

Satin' ſana hæc? Scripſit fortaſſe Martialis, *Sempronι Rufe*. Puta, in membranis prioribus *Sephroni* lectum fuiſſe: & librarios poſtea ex eo feciſſe *Sophroni*, cum revera *Semproni* eſſet. In MSS. interdum *Symphronius*, interdum *Semphronius* perſcriptum eſt. ubi caſtigatiores hodie libri *Sempronius*.

EPIG. LXXV.

Tu melius, certe meruiſti pignere vita.

Ita edi placuit cum Grutero. Non tamen vett. Eddi. lectionem damno, *certe m. p. vita*. Sic Commentaria Calderini, ſic ſecunda Editio Aldi, (nam in priore anni *M.* D. I. *Tu melius certe*, quam lectionem ſequutæ pòſt aliæ: etiam Gryph. Vaſcoſ. & Iun. Boulier.) ſic Colinæi. Quur ergo hanc lectionem ſibi tribuit Ramireſius, & mirabundus exclamat, *neminem adhuc ſuboluiſſe mendum in hoc verſu, legendum* CERTAE? cuius lectionis Colinæanæ iam admonuerat lectorē Gruterus. Cuius Notas vidiſſe ſe, non uno loco teſtatur: idem de Editione Colinæi negare non poteſt.

INCERTI.

Ad cænam nuper Varus me forte vocavit:
Ornatus dives, parvula cæna fuit. &c.

Auctiores inter alia ſunt Editiones Iunianæ hoc Epigrammate; ſed quo ſine ullo damno carere poteramus. Nos, quod indignum eſſet Martiale, nec exſtaret in MSS. aut etiam vett. Edd.

Edd. illud delevimus: & inter Spuria ac Suppoſititia ad calcem reiecimus. Illic, cùm ſit

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta,

legi dignius, quàm in hoc Venerum & Gratiarum incomparabili peplo. Quid autem facias Ramireſio, qui *Epigramma elegans & Poeta dignum* cenſet?

EPIGR. LXXVIII.

Sigerioſque meros, Parthenioſque ſonas.

Malim Sigeroſque. nam in Dione eſt, aut Xiphilino, Σιγηρὸς. Quare autem expoſtulet cum Grutero Ramireſius, & hæreat circa *Sigerios modos*, nemo eſt, puto, qui poſſit cauſſam capere; cùm Gruterus *Sigerios meros* repoſuerit. Quod ſi non feciſſet, hæreret profectò omnibus hîc aqua. Nec ſummus vir I. Lipſius tentaret temerè,

Sigerioſque modò, Parthenioſque ſonas,

Rurſus, non capit verba Gruteri, aut ſtudio cavillatur. Gruterus enim, quod ipſe affirmat, non dicit ſe non intelligere quid ſit *Sigerios meros*, ſed potiùs quid ſit *Sigerios modos*. quod explicare intererat Interpretum, qui ita legunt, & tamen non exponunt, ſed prætereunt. Hoc queritur Gruterus, non quod iſte inanilogus fabulatur, an calumniatur? Et ſanè impotens odium ubique profitetur in virũ optimum, optimeque de bonis ſcriptoribus, præſertim de Martiali, meritum.

EPIGR. LXXX.

Declamas in febre, &c.] Videntur duo Epigrammata eiuſdem argumenti. ut prius, diſtichon; poſterius, tetraſtichon ſit. Hæc autem non hoc loco, ſed inter Spuria cum reliquis debuerant legi. Martialis enim eſſe, non mihi fit veriſimile. Quamquam ferè in MSS. & Edd. omnibus exſtent. *Magna tamen res*, &c. effictum videtur, aut adumbratum ex Epigr. XVII. lib. I.

Cogit me Titus actitare cauſſas,
Et dicit mihi ſæpè, Magna res eſt.
Res magna eſt Tite, quam facit colonus.*

Videtur

Videtur enim legendum *quum taces colonus.* Niſi & id ipſum ſuppoſititium velimus:

EPIGR. LXXXIII.

Securo nihil eſt &c.) Rutgerſio noſtro, ὑπονοθεύς. Eidem ſuperiora in febricitantem *Maronem* Martiale noſtro indigna videbantur.

INCERTI.

Rure morans quid agam, reſpondeo pauca, rogatus.

Penultimum in omnibus Edd. Epigramma, totidem verſibus conſtat, quot Muſas plerumque numeramus: ſed nihil præterea cum Deabus illis commune habet: Averſis prorſus Muſis conſcriptum, & Poëtâ noſtro indigniſſimum. Non paſſi ſumus conſpici in elegantiſsimo opere ineptiſsimos verſiculos, & ſeorſim ad calcem cum aliis eiuſdem farinæ nugis edi curavimus. Ibi vide, quid de hoc & eiuſcemodi affaniis iamdudum notavimus. Neſapus ſit oportet, qui *M*artialem, aut quintam eius ſaltim partē, hæc reſipere exiſtimet. Ramireſius præceptori ſuo *F*rancisco *S*anctio antè legitimos diſciplinæ annos elapſus, tantum in literis nondum profecit, ut rectè diiudicet: Et

Non cuicumque datum eſt habere naſum.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. V.

EPIG. V.

AD *Capitolini cæleſtia carmina belli*
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Ita rectè Gruterus, & confirmatur auctoritate meliorum *S*criptorũ. *M*anifeſto colligitur hunc *S*extum epico carmine bellum Vitellianum ſcripſiſſe. Quod initio Epigrammatis ait,

Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ.

Poſſit videri *S*extus iſte fuiſſe Principi à ſtudiis: aut Bibliothecarius Palatinus, ut *Minerva Palatina* pro Bibliothecâ accipiatur: quemadmodum Horatio. *Apollo Palatinus*, lib. 1. *E*piſt. III.

——tangere vitâ
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Vide ibi veterem *S*choliaſten. Lapis *R*omanus in ædibus Maſſeiorum: TI. CLAVDIVS ALCIBIADES. MAG. (id eſt, *magiſter*) A. BYBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. ITEM. SCRIBA. AB. EPISTVLIS. LAT. apud Gruterum pag. DLXXVIII. 8. Alius: L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA. LIB. ET. A. BYBLIOTHECA. LATINA APOL-

APOLLINIS.pag.DLXXVIII, 5. Et pag.DLXXXIV, 6. ex tabellâ marmoreâ antiquitatum Maffeianarũ: ANTIOCHVS. TI. CLAVDI. CAESARIS. A. BYBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. Ex aliâ item Inſcriptione Romanâ: C. IVLIVS. FALIX. A. BYBLIOTHECA. GRAECA PALAT. pag. DLXXVI, 9. Sed ad proprium Domitiani numen refero; ad Pallada, inquam: cuius filium dici ſe credique voluit Domitianus. Auctor, præter cæteros, Philoſtratus in Vitâ Apollonii, lib. II. De deâ hac eius peculiari, agit ad invidiam Martialis, & Papinius in Sylvis: ambo, quod ſolent, κολακικῶς. Ne longè abeam, ſic hoc libro, ſecundo ſtatim Epigrammate, his verbis:

Quintus cum Domino liber iocetur:
Quem Germanicus, ore non rubenti,
Coram Cecropia legat puella.

Domitius rectè propendet in Minervam Domitiano ſuperſtitioſiſſimè cultam. Apage aliorum nugas. Ecce idem prorſus dicit libri octavi Epigrammate I.

Laurigeros Domini Liber intrature penates,
Diſce verecundo ſanctiùs ore loqui.
Nuda recede Venus, non eſt tuus iſte libellus.
Tu mihi tu Pallas Cæſariana veni.

EPIGR. VII.

Iam, precor, oblitus noſtra Vulcane querela.

Membranæ, *nota Vulcane querela.*

EPIGR. VIII.

Phaſis purpureis ruber lacernis.

MSS. duo *rubens*, melius & mollius meis auribus. Et ſic quidam Codices Calderini; quem vide.

EPIG. X.

Et laudant Catuli vilia templa ſenes.

Et hæc ſcriptura confirmatur fide meorum Veterũ. Ita ante annos XL in orâ libri ſui notaverat Scaliger; uti hodie videre eſt apud humaniſſimum Voſſium. Fulvius in Notis ad Suetonium. Antonius Gryphius ad ipſum Martialem. Et hic cui non dictus Hylas? Editiones habebant *Iulia templa.*

EPIGR. XII.

Quòd nutantia fronte perticatâ.

Ita optimus Codex. & prætuli vulgg. *pertinaci*, quòd Auctoris genuinum putarem, nec ab aliquo ſciolo confictum. Multimodis autem poteſt exponi. qui veriſimiliora proferet, verum dixiſſe cenſetor. Ego, ne nihil agam, arbitror hunc Maſthliona fuiſſe ex eo hominum ſeu præſtigiatorum genere, quos Græci θαυματοποιοὺς vocant, qui capite reſupinato, & in dorſum retroſequus intortâ cervice flexo, in areâ frontis miracula neſcio quæ faceret, & viſendo ſpectaculo populum exhilararet. Nempè thaumatopoeos huiuſmodi robuſtiſsimos & monſtroſis viribus fuiſſe ex Chryſoſtomo de Iureiurando didicimus, qui contum in fronte, quaſi arborem radicibus humi defixam, immotam gererent; aut puerulos in ſummâ perticâ, luctantes interſe, exhiberent. Verba eius ſunt: Τί ἄντις εἴποι περὶ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν, οἳ κόντον μετώπῳ βαστάζοντες, καθάπερ δένδρον ἐρριζωμένον ἐπὶ τῆς γῆς, οὕτως ἀκίνητον διατηροῦσι, παιδία μικρὰ ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ ξύλου παλαίειν ἀλλήλοις παρασκευάζουσι. Τὸ μέτωπον μόνον δεσμοῦ παντὸς ἀσφαλέστερον. Sanè in huiuſmodi prodigioſis ſpectaculis opus fuit ſummis viribus & ſingulari quadã dexteritate, ſi frons ſola, quod ait Chryſoſtomus, quolibet vinculo tutior erat. Alioqui periculum eſſet, ne pueruli in perticâ ludentes, cum ipſâ in terram laberentur: aut ſpectatores etiam læderent. Apud Turcas hodieque ludicrum hoc in uſu; ubi viriatus aliquis obnixâ fronte non tantùm perticam, ſed ingentis ponderis trabem & antemnas ſuſtinet: interdum & dentibus onere recepto, ſtupenda in vulgus patrat. Ita referunt qui viderunt miracula: & tradit in libro Hiſtoriæ Orientalis, ſi rectè memini, Guilielmus Poſtellus.

Ibidem.

Geſtat pondera Maſthlion ſuperbus.

Maſthlion, non *Maſclion*, Scaligeri emendatio eſt, quia vulgg. *Maſclion* non eſt Græcum. *Maſthlion*, Μασθλίων.

EPIGR. XIV.

Malui *De Nanneio*, ex optimo Codice, & alio quodam Scripto, quàm *Manneio* cum vulgatis. & ſic infra in Carmine.

Ibidem.

Equiti ſedere ſe, Lectioque ſe ſtare.
Sedeat Nanneius iſte, ſive Manneius, quo loco velit, per me licet; dummodo conſtet verſus. Scribe extrito altero *ſe*,
Equiti ſedere, Lectioque ſe ſtare.

EPIG. XV.

Quid tamen hæc proſunt quamvis venerantia multos?
Non proſunt ſanè: me tamen iſta iuvant.
Videtur ex membranarum veſtigiis legendum,
Non proſint: ſanè, me tamen iſta iuvant.

EPIGR. XVII.

Dum tibi noſter eques, ſordida conditio.
Scaliger in orâ, *equus*. Supra Epigr. XIII.
Sum (fateor) ſemperque fui, Calliſtrate, pauper,
Sed non obſcurus, nec malè notus eques.

Ibidem.

Dum te poſſe negas niſi lato Gellia clavo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtifero.
Dubius locus. De quo in Epiſtolicis Quæſtionibus ad Ianum Rutgerſium.

EPIGR. XVIII.

Avidum voratâ decipi ſcarum muſcâ.
Probo coniecturam doctiſsimi Brodæi, *vorato decipi ſcarum muſco*. De quo vide illius Notas.

EPIGR. XIX.

Si qua fides veri, præferri maxime Cæſar, &c.
Hoc Epigramma cum ſequenti omnino coniungendum iudicavi, ſententiæ ipſius auctoritate atque indicio perſuaſus. Eſtque IX diſtichorum. Tamen in omnibus Editionibus diſtichon *Saturnalitia*, ſte

 initium

initium alius Epigrammatis. Animadverterunt etiam hoc viri docti & amici mei. Continuentur ergo, quæ perperam divulſa ſunt.

Ibidem.

Pulchrior & maior quo ſub duce Martia Roma?
MS. Pulchrior & melior.

Ibidem.

Flammata ve toga ſcriptula tota decem.

Quidam Scripti: *Flammarisve.* Vt à *palmâ*, *palmaris*, ab *epiſtolâ*, *epiſtolaris*, ab *alâ*, *alaris*: à *pegmâ* (fem. gen.) *pegmaris* Suetonio, qui *gladiatores pegmares* dixit. Vide incomparabilis doctrinæ ac ſummi ingenii virum Iſaacum Caſaubonum in IV. librum Suetonii.

Ibidem.

Iamdudum tacito rides Germanice naſo,
Vtile, quod non vis, do tibi conſilium.

Venuſtè mehercule atque argutè MS. quem contulit Richardus Thomſonus,

Vtile quod nobis do tibi conſilium.

Leporem hunc quoque è fugâ apprehendit ſagaciſſimus noſter Rutgerſius, qui ex ingenio Martialem ita emendandum ad me perſcripſit, & publice in Variis teſtatus eſt. Nempe hoc vult. Cùm Suaſoris ſit finis utilitas eius cui quiſque ſuadet; id quod dixit Suadæ Medulla Tullius: Martialis contra conſilium ſibi utile, Domitiano verò, cui ſuadebat, damnoſum dabat. Hunc fucum à Cæſare animadverſum ſignificat Poeta, & rideri ſe ab illo fingit.

EPIG. XXIII.

Hermes, divitiæ locariorum.

Non poſſum ſtatuere, quæ ſit differentia inter *locarium* & *deſignatorem*, ſiquidem ulla eſt. Hoc ſcio, in omni genere *loca* ſpectaculorum dicta eſſe, ubi ſedebant ſpectatores. Suetonius in Claudio cap. XXI. *Propria ſenatoribus conſtituit loca, promiſcuè ſpectare ſolitis.* Apud Pub. Victorem, Regione Vrbis III. *Amphitheatrum, quod capit loca* LXXVII.∞. Ibidem: *Theatrum Marcelli capit loca* XXX∞. Item Regione IX.

Thea-

Theatrum Balbi capit loca XXX ∞ XCV. Vnde *locar* æs quod exigebant locarij à ſedentibus. Quod poſtea *lucar* dictum. Vetus Gloſſarium Græco-Latinum, θεατρικὰ χρήματα, *Lucaria. ſingulariter*, *Lucar*. Idemque à Chariſio Grammatico & aliis Gloſsis exponitur θεατρικόν. Quibus etiam aliter, *Lucar* μισθὸς ἀπὸ φίσκου. De modo lucaris, & adverſus laſciviā fautorum multa decreta eſſe temporibus Tiberianis, refert Tacitus ſub finē Annalis I. In fragmento Vet. S. C. Lud. Sæcular. apud Fulvium Vrſinum, & Gruterum pag. CCCXXVIII, I. legitur, *De. lucari. ludorum.* &c, *lucaris. nomine. inperent. uti. eam. pecuniam. dandam.* &c. Apud eundem Gruterum pag. CCCCXXXVI. 5. monumentum P. Marii Luperciani Eq. R. exſtat; ubi inter alia: *Cuius. eximia. liberalitas. poſt. multas. largitiones. huc. uſque enituit. ut. lucar.* * IIIII *Inae. redemptum. a. rep. ſua. univerſis. civibus. ſuis. in. perpetuum. remitteret.* Hæc Inſcriptio à variis ita excepta, & ex eâ cum mendo hæc ab ipſo Scaligero prolata ad Feſtum Pompeium, *lucar. IIIIIInae. redemptum. a. rep.* nam valde mihi arridet viri magni & amici coniectura, *lucar libitinæ*. *Hic lucar* exactio eſt, & tributi genus.. Sed apud Tacitum, & in S. C. de Ludis ſæcularibus, *Lucar* merces hiſtrionum eſt. quæ pecunia à lucis captabatur, deſtinata tota ad ludos; auctoribus Feſto, & Plutarcho in Cauſis Rom. Quis ille modus Lucaris, & quàm ſæpè mutatum lucar, docet I. Lipſii felix curioſitas ad Cornelium. Et Heros Scaliger Tertulliani de S. Ioāne præcurſore Domini egregium locū annotavit. Adverſus Gnoſticos: *Ipſe clauſula Legis* (inquit) *& Prophetarū, nec prophetes ſed angelus dictus, cōtumelioſā cæde truncatur in puellæ ſalticæ lucar.* Eleganter. Nam *lucar* erat merces ſaltatorū & hiſtrionū. Vide eundē ad Feſtum, tentantem quoq; hanc vocem Livio reſtituere lib. III. Poſtea itaque *lucar* dictum, quod priùs *locar*. æs nimirum ex *locis* ſive ſedilibus Theatralibus collectum. quæ origo mihi verior videtur, quàm à *lucis*. Nam quis Grammaticorum, & præſertim maximi Varronis in Etymis licentiam & laſciviam neſcit?

EPIG. XXV.

Quem chartis ſameque damus, populiſque loquendũ?
Quis Stygios non vult totus adire lacus?

Vtrumque verſum ita cum interrogandi notâ edi iuſsimus, & in pentametro *Quis* pro *Qui* ſcripſimus. Præ hac lectione, vulgata futilis eſt, & mirè languet. Supra eodem hoc Epigrammate, diſtichon ſecundum melius leges altera interrogatoria nota deleta. hoc modo:

Ecquis (10) revocat, diſcedentemque reducit?

EPIGR. XXXI.

Aſpice quàm placidis inſultet turba iuvencis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet. &c.

Falluntur, qui hunc luſum puerorum tauris inſidentium & inambultantium, eundem faciunt cum eo, de quo Suetonius in Claudio cap. XXI. *Exhibuit, præterea Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia Circi agunt, inſiliuntque deſſeſſos, & ad terram cornibus detrahunt.* Nam hîc pueri ſunt; ibi Theſſali equites: hîc manſueti boves; ibi feri: hîc immoti; ibi agitantur: hîc luditur per terga eorum; ibi cornibus detrahuntur in terram.

Dic mihi, quid ſimile eſt Thais & Hermione?

In membranis multiplex huius Epigrammatis inſcriptio: *De certamine taurorum. De ludo puerorum cum iuvencis. Parabola taurorum.* Mediam cum vulgo ſequuti ſumus. Auctor tertiæ & ultimæ, idem ferè ſenſit quod viri docti, qui hîc de feris tauris agi falſò commentabantur. Auctoratos beſtiarios, qui ſpectaculo meridiano ut cum beſtiis pugnarent operas ſuas locabant, propter deſperatam audaciam poſteriores Græci τοὺς παραϐόλους vocabant. Socrates Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. VII. cap. XXII. & alii. Hos intelligit Novella C. V. *Parabolarios* ſeu *Parabolanos*, ex voce Græca, terminatione Latina, dixit Iulius Firmicus. Apud quem lib. IV. cap. XV. *Faciet auſlores, audaces, periculoſos.*, legendum fortè *Faciet auctoratos:* ut fruſtra ſint, qui hoc loco imperitiam Helleniſmi in eo reprehendant. Ad verbum *periculoſos* vertit.

vertit, cùm hoc genus omne Græcis *παραβόλοι καὶ παρακεκινδυνευμένοι* dicebantur. de quibus ad IV. Manilii, magni patris magna proles. Huiuſmodi venatores, ſeu (*S*uetonii verbo, Auguſti cap. XLIII) confectores, Claudianus *Audaces* vocat Panegyrico Manlii. *Audaciſſimos parabolanos* Acta paſsionis *SS.* Martyrum Abdonis & Sennes: *Tunc iuſsit Valerianus eos introduci in Amphitheatrum, ut ferarum morſibus conſumerentur. Et cùm ut audaciſsimi parabolani ingreſsi fuiſſent.* &c. Hoc reſpectu Grammaticus, quisquis fuit, *Parabola* confinxit: audaci profectò & temerario conſilio. In Nummis Flaviorum ſpectantur duo boves coniuncti, quorum armos & terga puer nudus calcat, brachiolis divaticatis, & neſcio quid ludentibus. Exhibet Æneas Vicus Parmenſis Nummum Veſpaſiani, itemque alterum Titi, quorum averſæ partes hac pictura inſignitæ. Vide in Veſpaſ. num. 31. & in Tit. num. 13. Nuperque admodum in egregio opere Numiſmatum Romanorum Iacobus Biæus Antverpianus unum dedit Veſpaſiani Cos. VIII. in quo iidem combinati boves, iisque impoſitus puer. Sed non ſolùm à pueris verùm etiam à feminis calcata in ludis taurorum terga, Seneca nobis fidem facit, De irâ lib. II. cap. XXXI. *Aſpice elephantorum* (inquit) *iugo colla ſubmiſſa, taurorum pueris pariter ac feminis perſultantibus terga impunè calcata.* Eadem ferè omnia quæ hîc in tergo bubulo exhibita dicit Martialis, alii in equis patrata memoriæ produnt. Manilius lib. V.

Necnon alterno deſultor ſidere dorſo
Quadrupedum, & ſtabiles poterit defigere plantas,
Per quos vadit equos. ludet per terga volantum,
Aut ſolo vectatus equo, nunc arma movebit. &c.

De equeſtribus his exercitationibus variis conſule in eum locum incomparabilem *S*caligerum, & vide etiam Nicephorum Gregoram lib. VIII.

EPIG. XXXIV.

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam
Oſcula commendo deliciasque meas. &c.

Epigramma eſt V. diſtichorum, in Iunianâ Editione

in duo malè divulſum. Quod vel ſole meridiano clarius: Vti etiam, Martialem hîc Frontoni & Flaccillæ parentibus mortuis commendare Erotion vernulam, ſive filiolam recenter mortuam: Nam quòd Flaccilla viva patri defuncto commendarit, viri docti hallucinatio eſt & merum ſomnium.

Ibidem.

Pallida ne nigras horreſcat Erotion umbras.

Tò *Pallida* eſſe à malâ manu, non vanè fortaſſe hariolor. In membranis eſt *Parvula*, & *Paucula*. Vnde ſuſpicor Martialis manum fuiſſe,

Paulula ne nigras horeſcat Erotion umbras.

Nam exiguam fuiſſe Erotion, nullum eſt dubium, puellulam utique nondum ſexennem. Et huc alluſit in fine Epigrammatis, quod cum voto claudit:

Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra gravis fueris: non fuit illa tibi.

In Apophoretis diſticho CXCV vetus & germanum lemma reddidimus ex fide duûm præſtantiſſimorum Codicum, MVLAE PAVLLAE. pro quo hactenùs excuſum, *Mula pomilia*. Neque dubita. Dixerunt antiqui *Paulus. a. um*. à quo diminutivum *Paululus. a. um.* & *Pauxillus*. denique *Pauxillulus* veteres Comici dixerunt: &, qui ſtilum ex iis formavit, A. Gellius lib. &. cap. ult. *Conſiderent an minuta illa admonitiones, nequaquam tamen ſint vel ad alendum ſtudium inepta, vel ad oblectandum frigida.* Lucretius *oſſa pauxilla & minuta* lib. I. dixit. & ſic alibi. Plauto etiam uſurpatum, nemo tam hoſpes eſt in literis qui ignoret.

EPIGR. XXXV.

Cùm ſibi redire de Patrenſibus fundis.

Legendum *de Patrenſibus*, non *patruelibus*. Sanè *Patrenſibus* clarè legiſſe Domitium conſtat. Verſus, quomodo vulgo vulgatus eſt, non ſubſiſtit:

Cùm ſibi redire è patruelibus fundis.

Ineptè & putidè. *Patræ* Achaiæ urbs, & eò colonia deducta

deducta ab Auguſto. Hieronymus Chronico Euſebiano, num. MMIII. *Colonia Berytum & Patras deducta*. Nummus Auguſti: COL. A. PATRENS. Hodieque *Patra* vocatur, teſte Sophiano: *Bulabaſtra* Leunclavio.

EPIGR. XXXVII.

Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
*Rhenique nodos, aureamque * nitelam.*

Quædam Edd. & MSS. *mitellam*. Scaliger in ora, *miſcelam*.

EPIGR. XLV.

Iſtud, quæ non eſt, dicere Baſſa ſolet.

Accedunt Codicibus Gruterianis mei duo. Accedo ego eius interpretationi. Abutuntur otio ſuo, qui ad alia commenta confugiunt. Scaliger ad libri ſui marginem emendabat,

Iſtud, quod non es, dicere Baſſa ſoles.

EPIG. LI.

Ave *Latinum*, Χαῖρε *non potes Græcum*.

Corrigatur error typographicus, pro *potes* lege *poteſt*.

EPIG. LII.

Cur igitur taceo, Poſtume, tu loqueris?

Longè venuſtiùs diſtinguetur,

Cur igitur taceo, Poſtume? tu loqueris.

EPIGR. LVI.

Fama Tutilium ſua relinquat.

Ita habet liber omnium Scriptorum optimus, non *Rutilum*. Idem etiam annotatum Scaligero. Quod nomen hîc locum non poteſt habere. Prima enim corripitur, ſecunda producitur. Ovidius:

Et grave magnanimi robur mirare Rutili.

Nugatorius Pulmanni codex, qui *Lucilium* habet: & qui ſic producunt, nugas agunt. *Tutilium* proculdubio

dubio verum eſt. In veteribus Lapidibus, Q. TVTILIVS. M. F. & L. TVTILIVS. LVPERCVS. item: T. ATILIVS. T. F. OVF. TVTILIVS. Plinius Secundus Quintiliano ſuo, Epiſtolar. lib. VI. Epiſt. XXXII. *Quamvis & ipſe ſis continentiſſimus, & filiam tuam ita inſtitueris, ut decebat filiam tuam Tutilij neptem, quum tamen ſit nuptura honeſtiſſimo viro,* Nonio *Celeri.* Reſtituendū etiam hoc nomen ipſi Quintiliano alicubi, ſed liber non eſt ad manum.

EPIG. LVII.

Cùm voce te dominum, noli tibi Cinna placere:
Sapè etiam ſervum ſic reſaluta tuum.

Magis arridet lectio hæc optimi Scripti, præ vulgatâ,
Sape etiam ſervum ſic reſaluto meum.
Nam cùm obvios quoſcunque, quando nomen non ſuccurreret, dominos ſalutabant, de quo more Seneca Epiſt. III. mirum poſſit hercules videri, Martialem ſervi ſui nomen ignoraſſe. Primore etiam verſu fortaſſe legendum ——— *nolim tibi Cinna placere.* Quòd te dominum ſalutem, non blandicias loquor, non eſt quod tibi cupiam placere. Non. Fit illud ex more, quo ignotos, etiam ſervos in viâ obvios, eo nomine compellamus. Nemo (ut opinor) negaverit τὸ *tuum* meliùs vulgato.

EPIG. LXI.

Res uxoris agit, res ullas Criſpulus iſte?
Res non uxoris, res agit iſte tuas.

Non video quæ cauſſa dubitandi Grutero noſtro, ſi ſic cum vulgg. Edd. legatur.

EPIG. LXIV.

Tu ſuper æſtivas, Alcime, ſolve nives,
Barbarè. ita vulgg. Scripſi *Alcime.*

EPIG.

EPIG. LXIX.

Antoni Phario nihil obiectiure Pothino.

Ita ſcribendum hîc eſſe, diximus ad Epigr. LXVII lib. III. non *Photino*. Perperam ferè hoc nomen cõcipitur in Lucano, Claudiano, aliis. Recte Plutarchus in Pompeio Ποθεινὸν vocat. Fuitque tempore Irenæi Lugduni in Gallia Epiſcopus Ποθεινȣ̃ nomine. Hieronymus & Sophronius de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

EPIGR. LXXIX.

Ad Marullum. Sic priùs editi. Nos auctius lẽma ex opt. Cod. produximus, & cum veteri lemmatographo *Marullam Pæderaſtam* vocavimus. In membranis eſt *Pedariſiã*, unde facilis emendatio, *Pæderaſtã*.

EPIGR. LXXX.

Non deerunt tibi, ſi ſoles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, graveſque porri.

Προπίνειν (in MSS. noſtris melioribus, *propinin.*) optimè Domitius interpretatus eſt, *prægustare ante cœnam*. Canis edentulus, qui eum allatrat, ridiculas *ſeſſiles propinquas* comminiſcitur, & ineptiſſimè exponit. Miratur προπινέιν dici de cibo; multaque rancida alia delirus ſenex. Πρόπομα aliter dicitur γεῦμα. Vnde Martialis alibi non ſemel *Guſtum* vocat. Lib. XI. Epigr. XXXII. & LIII. quo Iulium Cerealem ferè ad eaſdem epulas invitat, quas hîc Turanio deſcribit. Idem prorſus convivium inſtruxit Stellæ, Nepoti, Canio, Flacco, & aliis, lib. X. Epigr. XLVIII. Vbi etiã *Guſtus* huius meminerat, ſi per imperitos quoſdam ſcribas licuiſſet, qui elegantiſsimum locum turpi macula fœdarũt, & obſcurarunt, ſed à nobis pulchrè deterſum, & priſtino nitori reſtitutum; ita ut de plano legi poſſit. Sed de hoc, ſuo loco. *Guſtus*, Petronio *Guſtatio*, & aliter Latinè *antecæna* dicitur.

Ibidem.

Ibidem.

Parvi tibi condyli ſonabit.

Viri docti iudicium iudicii diſſimile qui hîc probem? cenſentis τὸ *condyli* nomē hominis eſſe, & maiore literâ ſcribendum. *C*ondylus nomen proprium lib. IX. Epigr. XCII. *H*ic vero *tibia parvi condyli*, eſt tibia parvi foraminis. *N*am ὁ Κόνδυλος, *condylus*, digitus. Audiamus, ſodes, Domitium: *Condylus in muſicis dicitur digitorum curvatura uſque ad dimidium orbem. de hoc intelligit.*

Ibidem.

Hæc eſt canula. Claudiam ſequeris:
Quam nobis cupis eſſe tu priorem.

Fidenter τὸ *turpiorem* eieci, & volentibus membranis lectionem longè venuſtiorem repoſui, quam vides. Hæc & à Domitio agnoſcitur, & eſt in caſtigatioribus exemplaribus. Non moror qui contra ſentiunt. *S*ic Horatius:

Et niſi cœna prior, potiorque puella Sabinum
Detinet, aſſumam.

EPIG. LXXIV.

I, tibi diſperdas Gaure: puſillus homo eſt.

Ita de conſilio Scaligeri ſcripſi, qui me vexatiſſimi loci huius admonuit, & dubium his verbis firmavit. Hæc eſt vera lectio. Quæ noluiſti mihi dare, ea tibi habeas. Sed dixit *diſperdas*, pro malè utaris. ut Græci ἀποφθαρῆναι, pro eo quod eſt, in malam rem ire: κακῶς ἀπολεσθεῖν. *Puſillus* autem *homo*, eſt κίμβιξ, μικρολόγος. *S*ic in Bucolicis Virgilianis *diſperdere carmen*, eſt malè canere. Hæc ille, *cui doctior orbis*
Submiſſis defert faſcibus imperium.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. VI.

EPIGR. V.

Nil mihi reſpondes; tacitum te dicere, credo,
NON REDDES. *ideo, Caeciliane, rogo.*

Malim cum notâ interrogatoria poſt τὸ *reſpondes.*
Nil mihi reſpondes? &c.

EPIGR. VIII.

Dignum quid fatuo, Severe, fecit?
Editio omnium prima,
Dic numquid fatue, Severe, fecit?

EPIGR. XI.

Nec melior rhombus, turduſve dabatur Oreſti.
Ita repoſui ex optimo Codice, cùm antea eſſet, etiam in Ed. principe, utraque Aldinâ, *Nec melior panis.* Quidam Scripti etiam *pavus* præferunt. Sed præſtat *rhombus.* Certè *panis* legi non poteſt. Sequentia atteſtantur. Nec aliter fuit in MS. quo uſus I. Gulielmius, cui & id rectius meritò videbatur.

K tur.

tur. Quid, quòd & Perſius rhombos turdis coniungat Sat. VI.

Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem ſolers turdorum noſſe ſalivam.

Vbi antiquus Scholiaſtes: *Rhombus genus eſt piſcis, qui non privatis, ſed divitum menſis inſervit.* Turdo autem obeſo nil melius Veteribus, teſte Horatio. etiam Noſtro in Xenijs prælatus cæteris avibus turdus:

Inter aves turdus, ſi quid me iudice certum eſt,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

Et in iiſdem ſub Lemmate, *Turdorum decuria*:

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Columellæ quoque, M. Varroni de R. R. lib. III, & Galeno lib. de cibis boni & mali ſucci; lib. III. de aliment. facultat. & de attenuandâ victus ratione. Quin imò turdi in avium genere maximè palato grati probantur nepotum omnium ſummo gurgiti Apicio. Commendabantur autem pingues. Vt etiam Ficedula; de quâ Varro in Sat. Ταχῇ Μενίππου. De Turture Martialis ibidem:

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe. perdere nolo famem.

Vide Animadverſ. lib. III. ad Epigr. LX.

EPIGR. XII.

Iurat capillos eſſe, quos emit, ſuos
Fabulla: numquid Paullo peierat?

Poſtremus verſus claudicat, toto pede reciſo in vulgg. etiam in Editione principe, & priore Aldinâ. Nam in poſteriore, ſexdecim annis poſt natâ,

Fabulla: numquid ipſa Paulle peierat?

Scripſi,

Fabulla: numquid Paulle peierat? nego.

Sic disertè in duobus meis Codicibus. Eadem argutiâ Noſter, lib. II. Epigr. XX.

Carmi-

Carmina Paullus emit, recitat ſua carmina Paullus.
Nam quod emas, poſſis dicere iure tuum.

Ex quo fortaſſe hoc in Fabullam mutuatum eſt & diſtortum à quodam Scholaſtico. Τοῦ ποιητοῦ ſanè non videtur.

EPIGR. XIII.

Et placido fulget vivus in ore decor.

Codex Iunij & aliquot mei pro *decor* habent *liquor*. Optimè meo animo. Quod & in duobus Codicibus M S S. reperit magnus Turnebus, Adverſ. lib. XXIII. cap. XXVIII. quamquam interpretatio, quam adhibet, falſa. Vide, ſi placet. *Liquor* hîc eſt ſplendor reſultans ex ſtatuâ Iuliæ. Sic Horatio, *vultus lubricus aſpici.* Sic Claudianus IV Conſulatu Honorij:

—— *chlamys effluit auro.*

Id eſt fulgor aureus, qui è veſte emicabat. Sic Statius Sylv. lib. I. in Vopiſci Tiburtino:

—— *Nam ſplendor ab alto*
Defluus, & nitidum referentes aëra teſta.

Dicit ſplendorem ex auratis laquearibus in terram defluere. Quod quidem non Poëticè, ſed Philoſophicè dictum annotavit Papinianarum Lectionum cap. XXVII. doctiſsimus Gevartius. Adde Apuleium in Apologia, & in eamdem Clariſſimum Caſaubonum.

EPIGR. XXI.

Perpetuam Stellæ dum iungit Hiantida vati.

Ita vulgati omnes libri. nos extritâ aut rejectâ in alium locum literâ *h*, edidimus *Ianthida*. Sæpiſſimè hoc nomen legitur apud Martialem, & ubique præpoſterè ſcriptum. Legendum *Ianthis*, *Ianthidos*, Ἰανθίς, Violantilla Arruntij Stellæ. Puerilis eſt error. Tanto magis miror neglectum in omnibus editionibus.

EPIGR. XXIV.

Tu licet & manibus blandis, & vocibus inſtes.
Ita interpungit utraque editio Aldina, & vulgg. cæt. Quis non videt comma poſt *manibus* ponendum, & connectendum *blandis vocibus*?

EPIGR. XXV.

Tu potes & patris miles & eſſe ducis.
Sequutus quidem ſum membranarum quarundam ſcripturam, cùm vulgo legeretur, etiam in Ed. principe, & utraque Aldinâ,
Tu potes & patriæ miles & eſſe decus.
Sed nunc vix decerno, utra præferri lectio debeat.

EPIGR. XXVIII.

Qui fles talia, nil fleas Viator.
A fauſtâ imprecatione concludit. Sed quæ illa? Num hæc Raderi? *Felix eſto, quicunque infelicitatem huius pueri defles. felices enim non flent.* Vel potius ejuſdem altera lectio & interpretatio in Analectis?
Ni fles talia, nil fleas Viator.
Niſi fles talia Viator, nil amplius fleas. hoc eſt, ſtatim morere, ut flere non poſsis; aut in ſaxum vel feram migra, quibus ſimiliores quàm homini, qui flere talia ſolet. Miror equidem docti & diligentis viri hallucinationem: cùm ſenſus expoſitus ſit, & iam Domitio annotatus. Quicunque Glauciæ pueri miſeratione commoveris, nihil habeas, opto, unquam in vitâ quod fleas. Alia lectio *Ni fles* (cujus meminit Domitius, Editio princeps, & Aldina poſterior, nam prior *Qui fles*) vitioſa eſt & fatua. Ecce lib. x. Epigr. LXI. in Epitaphio Erotij idem prorſus precatur:
Hîc feſtinatâ requieſcit Erotion umbrâ,
Crimine quam fati ſexta peremit hyems.
Quiſquis eris noſtri poſt me regnator agelli,
Manibus exiguis annua iuſta dato.

Sic

Sic lare perpetuo, ſic turbâ ſoſpite, ſolus
Flebilis in terrâ ſit lapis iſte tuâ.

Diſceſſurus fortaſsè Poëta in patriam, vernulæ ſuæ cineres & tumulum commendat futuro agelli ſui domino, rogatque tenellis Manibus anniverſaria ſacra faciat, cum voto ut ſic cum totâ familiâ ſemper ſalvus ſit & incolumis, nullumque ſit, præter Erotij, in horto ſuo ſepulchrum. Auſonij haud impar votum eſt, in Præfatione Parentalium ſuorum:

Nænia funereis ſatis officioſa querelis,
Annua ne tacitus munera prætereas. &c.
At tu, quicunque es Lector, qui fata meorum
Dignaris mæſtis commemorare elegis;
Inconcuſſa tuæ percurras tempora vitæ:
Et præter juſtum funera nulla fleas.

EPIGR. XLII.

Nuſquam tam nitidum micat ſerenum.
MSS. nonnulli, & Editio princeps ſola (quod ſciam) *vacat*. Probè. Interpretatur Lucanus lib. I. verſ. 57.

—— *pars ætheris illa ſereni*
Tota vacet, nullaq; obſtent à Cæſare nubes.

Ibidem.

Ritus ſi placeat tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Crudâ Virgine, Marciaq; mergi.

Tres hos verſiculos in duobus codicibus Scaliger delevit.

EPIGR. XLVII.

Sive Numa conjux Trivia te miſit ab antro.
Iubeo omnino recipi, quod non admiſſum equidem doleo, *miſit ab Anna*, quod repertum Turnebo in vetuſtiſs. Cod. & in altero Divæi fuiſſe teſtatur Lud. Carrio I. Antiq. Lection. Quomodo &

 noſtro-

noſtrorum unus, non longè abeuntibus cæteris, *miſit ab amne.* & , *miſit ad Annam.* quod ultimum etiam Iunius Anglicani Codicis fide ad oram ſuæ Editionis annotavit. Ad lectionem hanc corroborandam, præter ea quæ ex Ovidio, Livio, & Dionyſio diligenter obſervavit Raderus, huc facit Poëtæ noſtri locus iſte ex Epigr. LXIV, lib. IV. de ſitu hortorum Iulij Martialis:

Longo Ianiculi iugo recumbunt
Celſa culmina delicata villæ.
Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totum licet æſtimare Romam:
Albanos quoque Tuſculosq; colles,
Et quodcunque iacet ſub Vrbe frigus:
Fidenas veteres, brevesq; Rubras:
ET QVOD VIRGINEO CRVORE GAVDET
ANNAE POMIFERVM NEMVS PERANNAE.

EPIGR. XLIX.

Hic qui retorto crine Maurus incedit,
Subolem fatetur eſſe ſe Cogiſantra.

Ridicula compoſitio, & inuſitatum cœloque Latino prorſus inauditum nomen. Quod monſtroſius adhuc in membranis, *Cogiſandra, Coſigranta*, & fœtutinæ eiuſmodi aliæ. Scripſimus, *coci Santra*, minimiſſimâ mutatione, quòd τὸ *C.* in *G.* & *G.* in *C.* viciſſim migrare in tractatione M S S. ſatis abundeque cognoviſſem. Poſtea acceſſit V.N. Iani Douſæ patris auctoritas, qui affirmabat ſic diſertè legi in quodam Codice Roelandij Antvverpiani. Magnumque Scaligerum in orâ lectionem hanc annotaſſe, nuper admodum didici: utrumne ex veteri Codice, an ingenio, me clam eſt. Erat homo emunctiſſimæ naris, ac in reſtituendis Veterum monumentis ſagaciſſimus. quod nemini paullo humaniori ignotum. Hoc prodigioſum nomen in Proſodiâ ſuâ ſeu ſyllabis Poëticis ſic laudat Smetius. Sed hoc opus ejus maiore ſtudio quàm iudicio collectum

lectum eſt, & ſæpè cum Io. Textore aves ſquammoſas, piſces plumatos fingendo, paria facit.

EPIGR. LII.

Sis licet, ut debes, tellus placata, leviſq;.

Non minùs vera quàm elegans hæc lectio eſt, quovis nectare ambroſiâque ſuavior, & præ quâ vulgata *Sis licet inde ſibi*, & inde nata neſcio cujus emendatio, *Sis licet inde ſito*, mera nautea eſt. Scias eam Palatini Codicis ſcripturam, auctoritate trium MSS. meorum firmari. In alijs etiam exſtat *Sis licet videbis*. In quo veræ lectionis manifeſta veſtigia. Neque dubita. Sic elegantiſſimum Ioſiam Mercerum quoque correxiſſe accepi.

EPIGR. LV.

Fragrat plumbea Nicerotiana.

Laberij verſus, quos hic tanquam ineditos profert noſter Gruterus, laudat etiam in Commentarijs Domitius. Adſcribam eoſdem & ego, ſed aliquanto caſtigatiores:

Et quacunque Syrus Nicerotes olet,
Et quidquid croci, caſiaq;, cinnamiq;
Vdus oaſarie ſpirat delicatus Arabs,
Hoc totus vobu nunc ego ad ſcenam adfero.

EPIGR. LVIII.

Cernere Parrhaſios dum te juvat, Aule, triones,
Cominùs & Getici ſidera ferre poli.

Poſt hoc diſtichon Scaliger in orâ libri ſui interjicit diſtichon ex Epigrammate LX.

Sic leve flavorum pereat genus Vſipiorum,
Quiſquis & Auſonium non amat Imperium.

Quam traiectionem, ut multas ejus viri alias, non probo.

EPIGR. LX.

Quiquis & Auſonium non amat Imperium.

Malit idem, *Quicquid.* ut Horatius: *At ô Deorum quicquid.* Sed omnes libri veteres habent *Quis quis.*

EPIGR. LXI.

Meq́ ſinus omnis, me manus una capit.

Scribe, *Meq́ ſinus omnes.*

EPIGR. LXIX.

Non miror, quòd potat aquam tua Baſſa, Catulle,
Miror, quòd Baßi filia potat aquam.

Neſcio quid doctus vir habebat in animo, quare mutaret τὸ *Baßi* in *Baſſa.* Nimis nempè indulget MSS. qui ſæpè ridiculi ſunt, & ſuas culpas laudibus mixtas habent. Lectio illa depravat Epigramma. Quid ſimplicius prioribus Editionibus?

EPIGR. LXXI.

Poſſet ad Hectoreos ſollicitata rogos.

Ita Gruterus noſter fidem Palatini Codicis ſequutus, cui & aſtipulatur Anglicanus Iunij: ſed revocavi antiquarum Editionum lectionem, *ſollicitare toros.*

EPIGR. LXXIV.

Calvam trifilem ſemitactus unguento.

Τὸ *trifilem*, Lector, debes melioribus membranis, & Editioni principi. Nam utraque Aldina, cum cæteris vulgg. *Triphilem* aut *Triphilen.* Vitiosè. *Semitactus* verò, debes incomparabili Scaligero. Τρίμιτον calvam vocat, quæ tribus tantùm crinibus conſtaret; ὑπερβολικῶς. *Fila* autem pro capillis etiam uſurpavit Ianus Secundus noſter, Hagienſis, Poëta cum Veteribus comparandus, & nulli recentiorum ſecundus: Iuliæ ſuæ, ſive Elegiarum libri I, Eleg. XI.

Dum veniant capiti candida fila meo.

..., inquit, nec caneſcam, inquit, *candida filia*, cani capilli.

Semi-

Semitactus, ἡμίχριστος. Nam *tangere oleo*, *tangere unguento*, Cato & Varro dixerunt. Propertius lib. IV. Eleg. III,

Seu meruit tangi parca lucerna mero.

Plinius alibi, ubi de uxore ſive unxore agit, *attingere oleo* dixit. Quis iam vulgarem, aut etiam divinationes Criticorum non explodat?

Calvam Triphilem ſegmentatus unguento.

Huic vel lex carminis obſtet. Vnde Turnebus olim corrigebat,

Calvam triſilem ſemitatus unguento.

Et nuper Gerardus Gontius,

Calvam tripalem ſemitatus unguento.

Rationes quas adhibent, vide, ſi lubet, apud Raderum in Commentario.

EPIGR. LXXVII.

Tam fortis, quàm nec cùm vinceret Artemidorus.

De nullo alio Artemidoro, quàm de Tralliano, pancratiaſta nobili, loquitur hîc Poëta. De quo dubitare nos ampliùs non ſinit hic Pauſaniæ locus, ex poſteriore Eliacorum: Τὸ δὲ ἐν Ὀλυμπίᾳ τοῦ Ῥοδίου (Ὕλλου) παλαιστοῦ τόλμημα, Ἀρτεμίδωρος γένος Τραλλιανὸς ὑπερεβάλετο κατὰ ἐμὴν δόξαν. Ἀρτεμιδώρῳ γὰρ ἁμαρτεῖν μὲν Ὀλυμπίων συνέβη παγκρατιάζοντι ἐν παισίν· αἰτία δέ οἱ ἐγένετο τῆς διαμαρτίας τὸ ἄγαν νέον. ὡς δὲ ἀφίκετο ἀγῶνος καιρὸς ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσιν, ἐς τοσοῦτο ἄρα αὐτῷ τὰ τῆς ῥώμης ἐπηύξητο, ὡς κρατῆσαι παγκρατιάζοντα ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς τούς τε ἐξ Ὀλυμπίας ἀνταγωνιστὰς, καὶ ἐπὶ τοῖς παισὶν οὓς ἀγενείους καλοῦσι, καὶ τρίτα δὴ ὅ τι ἄριστον ἦν τῶν ἀνδρῶν. &c. Id eſt. *Sed Rhodij palæſtritæ* (Hylli) *laudes meâ ſententiâ Artemidorus Trallianus vicit; qui cùm tener admodum pancratium puerile iniſſet Olympiæ, amiſſâ ob ætatis infirmitatem palmâ, mox in Ioniam ad Smyrnæos,*

cùm ludos agitarent, venit. tantum verò ei iam roboris acceſſerat, ut eodem die & eos quos in Olympiâ adverſarios habuerat, & in puerili ludicro quos imberbes appellabant, & iam tertio loco virorum optimum quenque pancratio ſuperarit. &c. Huius etiam meminit Anonymus Græcus, auctor præſtantiſſimus, in Deſcriptione Olympiadum, Olympiadis CCXII anno primo. ubi vixiſſe illum Galbæ Vitellijque imperio intelligimus. De Iro nota res eſt. nec de Parthenopæo fefellit Interpretes. de quo etiam legendus in Sylvis Statius, & Noſter lib. IX. Epigrammate LVI.

Ibidem.

Non aliter monſtratur Atlas cum compare mulo.

Pervenimus tandem ad eum locum, qui iam olim ſeculi ſui maximum ornamentum Angelum Politianum exercuit. Rectè ille ſagaciterque Poëtæ mentem odoratus eſt, pro *compare gibbo*, quomodo tum vulgò ferè legebatur (ſic certè in Editione principe, & Aldinâ an. MDXVII. nam in priore an: M. D. I. *mulo*) reſcribendo *compare mulo*. Sic inveniſſe ſe in plerisque Veteribus M S S. minusque vacillantis auctoritatis & fidei, longo verborum ambitu teſtatur; non tamen diſſitetur, in quibusdam fuiſſe *gibbo* ſcriptum. Quomodo ferè noſtri omnes. In uno alteroque tantùm *mulo* reperi: quod è gloſsâ irrepſiſſe arbitror, & Martialis veram primogeniamque ſcripturam eſſe,

cum compare ginno.

Quod cùm non aſſequerentur imperiti librarij, aut oſcitantes fortè non attenderent, *gibbo* transſcripſerunt, cùm in exemplari eſſet *ginno*. Vt ut ſit, Martialem ita voluiſſe, nullum mihi dubium eſt. Et quis malignus ille aut barbarus, qui ingenio meo non hîc applaudat? Præfiſcinè loquar, veriſſimè correxi. Plinius Hiſtor. Natural. lib. VIII. cap. XLVIII. *In plurium Græcorum eſt monumen-*

nnmentis,cum equâ muli coitu natum quem vocaverint ginnum, id eſt parvum mulum. Quæ poſtrema numquid è gloſsâ? De ginno vide Ariſtotelem Hiſtor. Animal. lib. VI. cap. XXIV. & lib. II. De generat. cap. ult. Legendus & Varro Rerum Ruſticarum lib. II. cap. VIII. De ginnis huiuſmodi & mulis paulis Noſter lib. XIV. Epigr. CXCV.

His tibi de mulis non eſt metuenda ruina,
Altiùs in terris penè ſedere ſoles.

Quæ adferuntur in hunc locum de Atlantibus ſive Telamonibus gibboſis: quæque de gigantis neſcio cuius mulâ, tranſeunda ſunt, Lector, ut inepta & ridicula. Verè Politianus interpretatus eſt. quem adi Miſcellaneorum cap. XXIII.

EPIGR. LXXVIII.

Huic Eras medicus, BIBAS CAVETO.

Vulgg. *Huic dicit m.* Sed codicis Palatini lectio auro contra non cara. Scribe verò aſpiratione additâ, *Heras.* Ἡρᾶς. Ἡρόδωρος, Ἡρᾶς. Μηνόδωρος, Μηνᾶς. Ξενόδωρος, Ξηνᾶς. Μητρόδωρος, Μητρᾶς. & ſexcenta apud Græcos. Eraſtratus quoq; ſatis notus Medicorum filijs. Et Romæ in Tabulâ marmoreâ Palatij Columnenſium, nomen P. SVLPICIVS HERA, Imp. Cæſare T. Ælio Hadriano Antonino Aug. Pio, & M. Ælio Aurelio Cæſare Coſſ. Inſcription. Gruterianar. pag. CXXVI. & in ijſdem pag. DCCXXXVIII, 9. P. VALERIVS HERA. Medicusque eo ipſo nomine legitur pag. DCXXXIV, 8. hac Inſcriptione Mediolanenſi, à magno ejus cive Alciato, inter cæteros, deſcripta.

V . F
M. PETRONIVS. HERAS. MEDICVS
SIBI. ET. SVIS. ET. ZOSIMO. DELI
CATO. ET. PETRONIAE. PRIMITIVAE
D . D

Lib. X. Epigr. LVI. *Eros* quidam Medicus, aut Chirurgus.

rurgus. Cujus, aut cognominis ejus, meminit vetus lapis Aſiſij:

P. DECIMVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI-VIR. &c.

Apud Gruterum pag. CCCC, 7.

EPIGR. LXXX.

Textilibus ſertis omne rubebat iter.

Edidit Gruterus *Tonſilibus*, ex uno alteroque Scripto. Sed cùm non poſſem comminiſci quomodo ſertum poſſit eſſe tonſile, reſtitui, ut priores Editiones omnes, *Textilibus.* Sed malim omninò cum quibusdam membranis *Sutilibus.* pro quo quidam Scripti perperam *Subtilibus.* & *Sextilibus.* unde illud vulgg. *Textilibus.* Sutiles autem roſas in culinâ aliter, quàm in opere coronario videtur accipere Apicius lib. I.

EPIGR. LXXXII.

Tu ne es, tu ne (ait) ille Martialis,
Cujus nequitias iocosq; novit
Aurem qui modo non habet Batavam?

In Editione omnium primâ, & in utraque Aldinâ, *ſeveram.* At verò omnes mei notæ melioris Scripti habent *Batavam*, non *ſeveram*. cuius lectionis ne veſtigia quidam ulla in membranis comparent; ſed aut diſertè præferunt *Batavam*, aut proximè illud accedunt. Hinc in proverbium abijt, vulgò iactata *Auris Batava*, nullo ſuo merito: nec hoc vult Martialis. cui, non eſt quod iraſcatur Dæmonium illud hominis Deſiderius Eraſmus, quaſi iniuriam nobis faciat, & maiores noſtros contemnat. Neque eſt, quod nobilis adoleſcens Batavus propterea Martialem temerè Domitianicum Gnathonem appellet. Imò hæc Poëtæ mens: Legi ſe Romæ ab omnibus, præterquam à Batavis, qui in armis & duriore vitâ educati, Flaviis tum militabant, & corporis Auguſti cuſtodes atque ſatellites,

tes,

tes, non admodum curabant Martialis carmina. Vtique iuxta Perſium,

Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.

Quis ignorat militaribus ingenijs illam iudiciorũ ſubtilitatẽ deeſſe, quia (ut prodit in Agricolæ vitâ Tacitus) caſtrenſis iuriſdictio ſecura & obtuſior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Proinde hoc ad inelegantiam aut ruſticitatem, opprobriumve totius gentis vertere nemo ſanæ mentis debet. Nec eſt, quod tantoperè incomparabilis Chiliaſtes ſtomachetur, aut indignẽtur noſtrates. Nec perperam exteri uſurpent *aurem Batavam*, pro agreſti & craſsâ: niſi ubi de militibus ſermo eſt, deque Martis, non Minervæ, pullis. apud quos etiam hoc tempore qui eruditos mores, auremque terſam quærit, næ ille plenus ruris & inficetiarum eſt. Alij nobiſcum agunt clementiùs, & *aurem Batavam*, interpretantur triſtem, ſeveram, caſtam, cenſoriam. Et Batavos priſcos, neſcio quis laudat ceu rigidos diſciplinæ & pudoris cuſtodes, abhorrentesque à ſpurcis & fœdis iocis. Quos Lucanus *truces*, id eſt, acres, bellicoſos appellat. Nefandus quidam in Hypobolimæo ſuo Batavis & Hollandis ruſticitatem atq; aurem craſſam agreſtemque exprobrat; ipſe omnium quot ſunt, quot fuerunt, bipedum inelegantiſſimus, nequiſſimus, & maledicentiſſimus. Piſcatores eosdem vocat illuſtris Veſpillonides: nempe illos animoſos & invictos cives, tot bellis terrâ marique, tot dolis fruſtra hactenus petitos, dolente atque indignante maximo & potentiſſimo Europæ Rege.

EPIGR. LXXXV.

Editur en Sextus ſine te mihi, Rufe Camoni.

Ita nobis videbatur potiùs legendum ex Vet. Ed. & Cod. MS. quàm cum vulgg. *Editus eſt Sextus.* cum quâ lectione Aldus facit priore editione, an. M.D.I. ſed in alterâ an. M. D. XVII. *Editur en S.* In utra-

utraque autem corruptè *camœnis*. Nunc non dubitem reſcribere,

Editur eu (vel, *heu*) *Sextus ſine te.*

Nam diligentem ſuorum Epigammatum lectorem Rufum Camonium, obijſſe ante editionem libri ſexti Poëta dolet, & hoc quaſi Epitaphium ei ſtatuit. Cæterùm *Rufe Camoni* habet, præter Codices membranaceos, etiam Editio princeps. De hac eleganti lectione Lectorem admonuerat Gruterus: tamen *Camœnis* retinet, & interpretatur etiam, in Curis ſecundis Raderus; quod miror: cùm nullus idoneus ſenſus inde elici poſſit, aut qui Latinis auribus ſatisfaciat.

EPIGR. LXXXVI.

Poſſideat Libycas meſſes, Hermumq́, Tagumq́,
Et potet calidam qui mihi laudat aquam.

Proſtat in orâ Editionis Iunianæ Anglicani Codicis ſcriptura, *libet*. Lego itaque & interpungo:

Et potet calidam, qui mihi livet, aquam.

Delectari ſe impensè frigidâ ſignificat; laudatq́ue frigidam & nivatam aquam, eamq́ue præfert calidæ ditiorum & procerum. Dicit indignos eſſe delicijs aquæ frigidæ, qui calidam ſemper bibunt, & thermopotant (ut Plautiſſem cum veniâ Lectoris) gutturem : quamquam ijs Midæ opes ſuppetant, Hermusq́ue & Tagus aureis arenis fluant; & in horreis ſit quidquid de Libycis areis verritur: non invideo ipſis fortunam: ne mihi ſaltim aqua frigida & potus pauperum invideatur. Potet inquit calidam, qui mihi invidet frigidam. *Livere* pro invidere, non ſemel Martialis uſurpat. Lib. IX. Epigr. XXXIII.

Albanæ livere poteſt pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quòd prior illa caput.

Lib. X. Epigr. XII.

Et venies albus non cognoſcendus amicis,
Livebitq́, nigris pallida turba genis.

Nec

Nec abhorret Statius Sylvar. lib. I. in Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

——— rupeſq́; nitent, quis purpura ſæpè
Oebalis, & Tyrij moderator livet aheni.

EPIGRAMMATI huic vulgò ridiculum & abſurdũ lemma imponitur, *In bibentes aquam*: cùm debeat hoc aut ſimile, *In invidentes ſibi aquam frigidam.* Aldus, cùm in principe Editione & priore ſuâ legeretur *In bibentes aquam*, emendavit in poſteriore *In aquam calidam.*

EPIGR. XCIII.

Pſilotro viret, aut acidâ latet oblita cretâ.

Diſertè illud *viret*, ut MSS. ad teſtimonium non citem, exhibet Editio omnium prima, & poſterior Aldi an. M.D.XVII. Reliquæ omnes *nitet.*

EPIGR. XCIV.

Ponuntur ſemper chryſendeta Calpetiano.

Malim, *Calpetano.* quòd id nomen ſæpiculè in antiquis Lapidum monumentis occurrat. Et quidem ſub Veſpaſiano, *C. Calpetanus Rantius Quirinalis*, & *C. Calpetanus* * *Theorus.* ut quatuor alios *Calpetanos* omittam, in veteribus Inſcriptionibus nominatos. Sed temerè nihil mutandum: utique cùm nomen *Calpetani* repugnare verſui videtur. Media namque in nomine *Calpeti*, noni Æneadarum regis, corripi, ex Ovidio plusquam manifeſtum eſt, Faſtorum IV.

Ille dedit Capyi repetita vocabula Troiæ;
Et tuus eſt idem, Calpete, factus avus.

A Calpeto, Calpetanus & Calpetianus. Notandum autem Naſonis iſtum locum ita incorruptè à Servio Virgilij interprete produci; qui vulgò mendosè circumfertur:

Ille dedit captæ repetita vocabula Troiæ.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. VII.

EPIGR. I.

A*Ccipe Belligera* &c) Malè hoc Epigramma ſex deſtichorum conceptum eſt. Duo enim priora conſtituunt unum Epigramma : reliqua quatuor aliud. Quemadmodum nos edidimus. Miror Scaligerum in Græcâ ſuâ Anthologiâ vulgarios codices ſecutum. Non enim ſingulare Epigramma eſt duodecim verſuum, ſed duo diverſa Epigrammata, quæ perperam in unum coaluerant.

EPIGR. X.

Padicatur Eros.] Hoc nomen à nobis hîc reſtitutum. Antea fuit *Ores.* In membranis plerisque eſt, *Heros.*

Ibidem.

Ibidem.

Fellat Linus. Olle, quid ad te?] An legendum ſit *Pinus* cum notæ melioris Codicibus ſcriptis, eruditi Lectoris eſto iudicium. Sanè hoc nomen eſſe proprium memini, lectumque in Plinio Natural. Hiſtor. lib. XXXV. cap. X. Cornelius Pinus, qui cum Actio Priſco, Honoris & Virtutis ædes Imp. Veſpaſiano Aug. reſtituenti pinxit, & in auctoritate fuit.

EPIGR. XII.

Ludimus innocui: ſcis hoc bene. iuro potentis
Per genium Famæ, Caſtaliumque gregem.

Hæc optimè ſic concipit optimus liber. Vitioſiſſimè vulgg. Codd.

Ludimus innocuis verbis. hoc iuro potentis.

EPIGR. XIV.

Vel Stellæ cantata meo, quas flevit Hiantis.

Ianthis legendum cùm hîc, tum Epigr. ſeq. & alibi, ſupra à nobis indicatum.

EPIGR. XX.

Dulci placentâ ſordidam linit mappam.

Corrupta eſſe arguit optimus liber, in quo *Buccis plangentem.* Sed illud *plangentem* manifeſtò mutandum in *placentæ*, ut habent ferè Editiones. *Buccas placentæ* dixit, ut lib. VII. Epigr. LXXV.

Buccellas miſiſſe tuas te, Pontia, dicis.

quas ante eodem Epigrammate *quadram placentæ* dixit. Lib. III. Epigr. LXXVII.

Nec te liba iuvant, nec ſecta quadra placentæ.

Lib. X. Epigr. V.

Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas improbi panis buccas.

Buccæ ſunt fruſtula panum demorſa, quæ ideo Galli *morſellos* vocant.

Ibidem.

Et excavatæ pellis indecens vulva.

Nihil mutandum. Vulva ſuis, quæ iam peperit, in delicijs. Quod non obſcurè Martialis infra docet, & Plinius in Hiſtoriâ Naturali. Poteſt hîc videri ſagaciſſimus amicus noſter naſum ſuum non conſuluiſſe, cùm τὸ *pellis* corruptum cenſeret.

Ibidem.

Analecta quidquid & canes reliquerunt.

Fortè *Analecta* hîc novâ ſignificatione, ὁ ἀναλέκτης, non τὰ ἀνάλεκτα. Vide ad lib. XIV. Epigr. LXXX.

EPIGR. XXXI.

Et flavas medio vapore Chias.

Intelligi putem ficus hibernas. quas *gelatas* vocare videtur lib. IV. Epigr. XLVI.

Et ficus Libycâ gelata teſtâ.

Nihil ineptiùs potuit comminiſci, quàm quæ ad eum locum adoleſcens Hiſpanus annotavit. Vide, (ſodes) & ride nugaciſſimas nugas. Ficus in arbore, ex ipſa uſque Africâ cum ſuis teſtis allatæ, ut Romæ matureſcerent diebus Brumalibus, meridie ad vaporem Solis exponebantur; quo conſequebantur, ut matureſcentes flaveſcerent. *Medium vaporem* vocat meridianum. Temperato vapore aridas interpretatur Domitius. Ficum hibernam dixi gelatam vocari: nunc ſuccurrit & alia interpretatio. Nempe, gelatam ficum dici fortaſſe conſtipatam denſatamque in teſtâ. Epigr. LIII.

Et Libycæ fici pondere teſta gravis.

EPIGR. XXXII.

Per varias artes, omnis quibus area ſervit.

Malè capitur hic vulgò locus. Mihi videtur intelligendum τὸ *Area*, pro vitâ. Infra ad libri X. Epigramma XXIV. exponetur.

EPIGR.

EPIGR. XXXIII.

Neglecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Nondum video, quare *Deiecto*, quæ vulgg. & meliorum Codd. lectio eſt, excludi debeat, ſubſtituto in vicem *Neglecto*. Viderint Docti. Equidem veterem lectionem reponendam cenſeo.

EPIGR. XXXVI.

Plurima, quæ poſſet ſubitos eludere nimbos.
Neſcio quomodo acciderit, quod me, genioq; Martialis, & libris omnibus invitis, *eludere* editum ſit, cum *effundere* paſſim probè legatur. Nonnemo *defendere* malit. Sed recepta lectio ſollicitanda non eſt.

EPIGR. XL.

Pectore non humili paſſus utrumque Deum.
Ridiculum de Claudio & Nerone, quod viſum Domitio. Intelligit Domitianum iratum & placatum. Quod rectè etiam notatum Radero, quem vide.

EPIGR. XLVII.

Perdiderant iam vota metum, ſecuraq; flebat
Triſtitia, & lachrymis iamque peractus eras.
Hæc ſunt flocci. Membranæ noſtræ, & Anglicanus Iunij:
——— *ſecuraq; flebant*
Triſtia cum lachrymis. iamque peractus eras.
Triſtia & *Lachrymæ*, ſunt carmina lugubria. Quo nomine quinque primos libros exilij ſui inſcripſit Ovidius. *Triſtia* inquam, non *De triſtibus*. Ita igitur mecum lege, certus hanc optimam eſſe lectionem.

EPIGR. L.

Fons dominæ, regina loci quo gaudet Ianthis.
Ita ſcribendum hoc nomen, non *Hiantis*; jam plus ſemel monuimus.

EPIGR. LII.

Pompeium quæras (& noſti forſitan) Auctum.
In veteri Inſcriptione, Collectaneorum Gruterianorum pag. IↃCCC.XVI,8.

M. POMPEIVS. AVCTVS. LIB.

Vbi τὸ *Lib.* fortean eſt *librarius.*

EPIGR. LV.

Damnatam modò M. tributi.
Cum eruditiſſimo Turnebo & Grutero malui *tributi*, quàm *tributis.*

EPIGR LVI.

Aſtra polumq; piâ cepiſti mente, Rabiri.
In V. C. eſt, *percepiſti*, lego *percepſti*. Syncope Auctori noſtro & Poëtis perfamiliari. Eam aliquot locis è fugâ retraximus, & Martiali poſtliminiò redonavimus. Vide ad lib. II. Epigr. LXIV. itemq; lib. III. Epigr. XXII. Et ibidem ad Epigr. LXVII. in Attextu.

EPIGR. LXVII.

Vndenas vorat in die puellas.
Vetus hæc lectio perplacet. Correctorum inventum *dolat*, aut *ſolet*, quomodo probem? Infra verſu à fine tertio:

Sed planè medias vorat puellas.

Nihil ergo ſupra mutandum.

Ibidem.

Harpaſto quoque ſubligata ludit,
Et flaveſcit haphe, graveiſq; draucis
Halteras facili rotat lacerto.

Ita reponatur. Veram eam lectionem præſto. neque dubita. Editio noſtra, in hoc ſecuta leia Gruterianæ, mirè hîc depravata eſt.

EPIGR.

EPIGR. LXIX.

Hanc ſibi iure petat magni ſenis Atticus hortus.
Vera hæc lectio ; non vera doctiſſimorum hominum interpretatio. Aiunt intelligi Platonem per magnum ſenem ; Academiam per hortum. Ego verò neque Academiam hortum vocari conceſſerim, neque alius Philoſophi hortum agnoſco, præterquam Epicuri. Is enim primus, authore Plinio, Athenis hortos habere inſtituit. Diogenes Laërtius. Statius Sylvarum I.
Mallet deſerto ſenior Gargettius horto.
Et Auctor Ciris, falsò Maro creditus, initio Poëmatis. Cicero De finibus bonorum & malorum V. ſtatim in libri limine. Alij. Quòd autem Epicurum ſenem magnum vocet ; ſciendum, magiſtrum illum otij & hortorum à ſectatoribus eius pluris factum, quam Platonem à ſuis.

Ibidem.

Non tua Pantænis nimium ſe præferat illi.
Ita de conſilio Scaligeri ſcripſimus, cùm corruptè & variè legeretur antea, *Parthenium, Parthenus,* & *Panthenis.* Rectè *Pantænis.* Παντωνίς. Maſculinum Πάνταιν☉, Philoſophus Chriſtianus in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ Euſebio laudatus, & alibi à Clemente Alexandrino; cuius ille præceptor fuit & Doctor.

EPIGR. LXXII.

Sic vincas Noviumq́; Publiumq́;
Mandris & vitreis latrone cluſos.
Mandris, fortaſsè quadrigis. Nam quadrigis eburneis Neronem luſiſſe, prodit Suetonius. Lege Scaligerum ad Catalectum Lucani (uti vetus inſcriptio præfert) de laude Piſonis, ipſo fine.

EPIGR. LXXX.

Nondum caſus adhuc matre iubente Lacon.

De puerorum apud Lacones διαμαςιγώσει, præter cæteros Pauſanias Laconicis, ubi ad aram Dianæ Orthiæ factam meminit, Plutarchus, Lucianus, Philoſtratus, Seneca, Tertullianus ad Martyres. Philoſtratus autẽ conferendus cum Pauſania. & legendus mox antiquitatis omnis peritiſſimus & accuratiſſimus noſter Meurſius, in luculento opere, quod præ manibus habet, B. Reip. lit. propediem emittendum, DE FESTIS GRAECORVM.

EPIGR. LXXXII.

Delapſa eſt miſero fibula; verpus erat.

Si verpus, hoc eſt ψιλὸς καὶ ἄνευ ἀκροβυςίας, quomodo illi induci potuit fibula? Valde miror. Hæc Scaliger. De infibulatione conſulatur Cornelius Celſus.

EPIGR. XCIV.

Vnguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat.

Nota genus. Vnicum enim hoc exemplum puto ſupereſſe, quo *onyx* genere fœminino enunciatur. Nam maſculino cæteri omnes Scriptores. Horatius lib. IV. Od. XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Catullus Elegiâ de comâ Berenices, *Veſter onyx.* Propertius lib. II. Eleg. XIII.

Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.

Iterum Eleg. VIII. lib. III.

Et crocino nares murrheus ungat onyx.

Ipſe etiam Martialis maſculinè lib. XI. Epigr. L.

Profertur Coſmi nunc mihi ſiccus onyx.

Quibus omnibus locis, onyx eſt ampulla, ſive vas unguentarium ex onyche gemmâ. Pro ipsâ gemmâ lib. XII. Epigr. L.

Calcatusq; tuo ſub pede lucet onyx.

E

Et Papinius cùm alibi, tùm Sylvar. lib. I. Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

——— Hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus onyx. ———

Lucanus, & alij; quos parco adſcribere. Hunc aliqui lapidem alabaſtriten vocant, teſte Plinio lib. XXXVI. cap. VIII. Quem cavant, inquit, ad vaſa unguentaria; quoniam optimè ea incorrupta ſervare dicitur. Dioſcorides lib. V. Ἀλαβαστρίτης λίθος ὁ καλούμενος ὄνυξ. Martialis ergò hoc loco *onyx parva* ἑλληνικῶς, ut ἡ ἀλάβαστρος. Erit fortaſſe, cui inſolens hæc generis commutatio diſplicebit, & nomen proprium latere autumabit, legendumque: *quod onyx modo, Nerva, gerebat.* Vel ſimile nomen. Quod ſtudioſis, quibus maius otium ſupereſt, inveſtigandum relinquimus.

EPIGRAMMATA,

Quæ ex codice Anglicano Editioni ſuæ Iunius hic adtraxit ſpuria ſunt & ridicula. Quare non veritus ſum illis transverſo calamo notam culpæ illinere, & ceu importunos hoſpites furcillis eijcere. Exſibilentur, & ſtercore oblinantur: merx enim commictilis, ut ille ait.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. VIII.

IN EPISTOL. AD DOMITIAN.

E*T puto propter hæc leguntur.*] Malim cum pleriſque MSS. Editione omnium primâ, Aldinâ utraque, alijsque Edd. exoletis, *legentur.*

Ibidem.

Quamvis autem Epigrammata à [ita tres mei Scripti, & Aldi Editio poſtrema] *ſeveriſsimis quoque & ſumma fortuna viris ita ſcripta ſint, ut Mimicam verborum licentiam affectaſſe videantur, &c.*] Optima hæc eſt lectio, & quam omnino flagitat ſententia. *Mimicam* inquam, non *nimiam* legendum. fideiubentibus etiam mẽbranis noſtris. Lib. III. Epigr. LXXXVI.

Ne legeres partem laſcivi caſta libelli,
Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis.
Sed ſi Panniculum, ſi ſpectas caſta Latinum,
Non ſunt hæc Mimis improbiora, lege.

Lib.

Lib. II. Epigr. XLI.

Mimos ridiculi Philiſtionis,
Et convivia nequiora vita.

Ovidius:

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia Mimos.

Item:

Quid ſi ſcripſiſſes Mimos obſcœna iocantes?

Diomedes Grammaticus lib. III. *Mimus, eſt ſermo cuiuslibet motus ſine reverentiâ, vel factorum cum laſciviâ imitatio.*

Ibidem.

Ego tamen illis non permiſi tam liberè loqui, quàm ſolent, cùm pars libri & maior & melior ad maieſtatem ſacri nominis tui allegata ſit. Meminerit non niſi religionis purificatione luſtratus accedere ad templa debere.] Implexam ſententiam novâ interpunctione evolvo: *Ego tamen i. n. p. t. l. l. quàm ſolent. Cùm pars l. c. m. e. m. a. m. ſ. n. t. alligata ſit, meminerit non niſi r. p. luſtratus accedere a. t. d.* Sic paret, retinendum omnino τὸ *luſtratus*, nec audiendos Codices, aut etiam viros doctos, qui *luſtratos* ingerunt. Me potius audi interpungentem: alioqui non rectè capies mentem Poëtæ.

EPIGR. II.

Et linguâ pariter locutus omni.

Quadrifrontem Ianum innuit, quatuor linguis locutum. Doctiſſimus Grammaticus Servius ad Virgilium, ubi agit de Iano Quadrifronte, verſiculum hunc Martialis laudat. Et Quadrifrontis Iani meminit alibi Noſter:

Et Fora tot numeras, Iane, quot ora geris.

Ibidem.

Addis IANE PATER *tuam rogamus.*

Infra ad Epigramma octavum exponimus.

EPIGR. VI.

Argenti furioſa ſui cùm ſtemmata narrat.

Hic comitia Criticorum convenerunt, utrum *fumoſa* an *furioſa* legendum eſſet. In magni Lipſij, *fumoſa* præferrentis, ſententiam abijſſe pleroſque video; Ianum Gruterum, Andream Schottum, D. Heraldum, & M. Raderum. Sed eorum magiſtratus vitio creatos obſervavi. Seneca de Brevitate vitæ cap. XII. *Illum*, inquit, *tu otioſum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretioſa, anxiâ ſubtilitate concinnat, & maiorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit.* Vel fortaſſe-an *furioſa* dixit, quòd rancidus ſenex Euctus vaniſſimo verborum ſtrepitu pocula ſua, quæ volebat archetypa videri, putidiſſimè oſtentaret & iactaret. Cicero de Oratore I. *Quid enim tam eſt furioſum, quàm verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nullâ ſubjectâ ſententiâ, nec ſcientiâ?* Itaque correctionis illius nullam rationem habendam cenſeo.

Ibidem.

Hic ſcyphus eſt, in quo miſceri iuſſit amicis
Larg us Æacides, vividiusq; merum.

Optimè *vividiusque*. & revocatum omninô oportuit. Codices vulgarij, etiam quidã Scripti, manifeſtò corrupti ſunt, *& bibit uſque*, vel *& bibit ipſe*, vel *ebibitusq;*. Optimus liber noſter habebat, *inv.diusq;*: ex quibus veſtigijs legendum *vividiusq;*, qui nõ videt, næ ille luſcitioſus eſt, aut potiùs cœcus. Miror à nemine hactenus, præterquam à Scaligero, aureolam iſtam lectionem animadverſam eſſe: cùm eam Calderini codex alius in Commentario, editioque Aldi poſtrema anni MDXVII. diſertè præferant. Prima ejus, ut & Editio omnium princeps, multæque aliæ depravatæ ſunt. Legendum, inquam, *vividiusq;*. Nam Homerus,

ad cujus locum alluditur, ἐν τῇ πρεσβείᾳ, hoc eſt Ἰλιάδ. ί, dixit ζωρότερον.

ζωρότερον δὲ κέραιρε ———

Quod diverſe à Veteribus exponi, ex Plutarcho in Sympoſijs diſcimus. ζωρὸς autem eſt *vividus*, ζωρότερον *vividius*. Noſter lib. XI. Epigr. LVIII. cùm ſcribit,

Iuppiter Ambroſiâ ſatur eſt, & nectare vivit.

Videtur emendandus ---- *& nectare vivo.* In membranis ibi eſt *iuuo* & *iuno*. Sanè *Iuno*, quod quis fortaſsè ſuſpicetur, legi non poteſt, ſenſu non admittente, etſi addicentibus libris. De lectione *vividius* monuit nos Scaliger Caſtigationibus in Catullum, ad verſum: *Inger mi calices amariores.* Et in Manilianis, lib. V.

EPIGR. VIII.

Principium des Iane licet velocibus annis, &c.
Te primum pia turba roget, te voce ſalutent.

Non dubito membranarum lectionem veram eſſe, *te vota ſalutent.* quomodo correxi. Nam in omnibus Votis Ianus primus invocabatur, etiam in publicis. Infrà lib. X. Epigr. XXVIII. ad Ianum:

Annorum nitidiq; ſator pulcherrime mundi.
Publica quem primum vota preceſq; vocant.

Auctor Originis Gentis Romanæ: *Quia prior Ianus in Italiam advenerat, cùm eum & Saturnum poſt obitum divinis honoribus cumulandos cenſuiſſent, in Sacris omnibus primum locum Iano detulerunt: uſque eo, ut etiam cùm alijs Dijs ſacrum ſit, dato thure in altari Ianus prior nominetur, cognomento quoque addito* PATER. *Vnde Virgilius* VIII. *Æneid. ſic ait:*

Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit arcem.

Horatius feſtivè:

IANE PATER *clarè, clarè cùm dixit* APOLLO,
Labra movet metuens audiri, PVLCHRA LAVERNA

DA

DA MIHI FALLERE: DA IVSTVM SANCTVMQVE VIDERI.

Noſter huiuſce libri Epigrammate II.

Addas Iane pater tuam, rogamus.

Seneca in feſtiviſſimo Ludo de morte Claudij: *Primus interrogatur ſententiá Ianus pater, homo quantumvis vafer, qui ſemper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.* Macrobius Saturnal. I. cap. IX. *Xenon primo Italicon tradit Ianum in Italiá primum* DIS *templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe Sacrorum: Ideo eum in ſacrificijs præfationem meruiſſe perpetuam.* Legantur ibidem quæ paulo poſt ſequuntur. Arnobius lib. III. adverſus Gentes: *Quem* (Ianum) *in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam creditis.* Idem lib. IV. *Incipiamus ergo ſolenniter à Iano & nos patre.* Cicero II. De natura Deorum: *Principem in ſacrificando Ianum eſſe voluerunt.* Cato de Re Ruſtica, tit. CXLI. Alij. Inſignitè Ovidius primo Faſtorum:

Mox ego: Cur, quamvis aliorum numina placem
Iane, tibi primum thura merumque fero?
Vt poſsis aditum per me, qui limina ſervo,
Ad quoſcunque voles, inquit, habere Deos.
At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimusq; preces? &c.

Adjunge Servium I Æneidos, verſu illo: *Cana Fides*, &c. His, & præſertim unico Naſonis loco, inducor, ut reſcribam hîc cum antiquis Edd. *Te primum pia thura rogent.* Peſſimè meo animo quidam libri:

Te primum pia turba roget, te voce ſalutet.

Quòd doctus & diligens Interpres eam ſibi arridere dicat, mallem tacuiſſet. Reſtitue:

Te primum pia thura rogent, te vota ſalutent.

EPIGR.

EPIGR. XI.

Perveniſſe tuam iam te ſcit Rhenus in urbem.
Hic *urbem tuam*, Romam ſimpliciter accipio. nam dictum, tanquam magnificis operibus à Domitiano ornatam, & quaſi denuò exædificatam; ut quam penè totam inſtauraverit incenſam à Nerone; mihi non ſit veriſimile. Vtique qui didicerim Scriptores, qui de Vrbe verba faciunt, ſic loqui. Ovidius Metamorphoſeôn lib. XV.

Cæſar in urbe ſuâ Deus eſt.
Plinius Panegyrico ad Traianum: *Ac primùm, qui dies ille, quo exſpectatus deſideratusq́; Urbem tuam ingreſſus es?* Martialis ipſe lib. VI. Epigr. LXXX. & de Spectaculis Epigr. III. Vetus Inſcriptio Aquæductus ad portam Exquilinam: (Grut. pag. CLXXVI)

IMP. CAES. M. AVRELIVS
ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG.
PARTH. MAXIM. BRIT. MAXIMVS
PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIS. KASIBVS
IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS
ET. PERFORATIS. MONTIBVS. RESTITVTA
FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO
ANTONINIANO
IN SACRAM VRBEM SVAM
PERDVCENDAM CVRAVIT.

Ibidem.

Nullum Roma ducem, nec te ſic, Cæſar, amavit.
Sincera hæc vetus & recepta lectio eſt, nec temerè interpolanda. *nei te*, & *niſi te*, ſuaves ingeniorum luſus ſunt. Lege hîc Raderum. Eſt etiam qui conjicit, *nec ſe.* Πάντα μία κόνις.

EPIGR.

EPIGR. XIV.

Admittant ſoles, & ſine ſole diem.
Vulgatorum *ſine fæce* durius videbatur pro ſine nube, pluviâ, nive, &c. idcirco admiſimus Cuiacianam emendationem (Obſervat. libro & cap. XIII) *ſine ſole*, promptam proculdubio ex membranis. Sanè illam mihi in codice Douſano obſervatam jam olim memini.

EPIGR. XV.

Dum nova Pannonici numeratur gloria belli.
Cùm variare animadverterem optimas membranas, & ſcribere *roriga*, conjeci aliquando *lorea*, i. e. *laurea*. Sed nihil temerè mutandum.

Ibidem.

Dat POPVLVS, *dat gratus* EQVES, *dat thura* SENATVS,
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Vir Illuſtris in quodam ſchedio: Hæc, inquit, non ſunt pili. *Ditant* depravatum ex *litant*. neque mirandum, ſi ſcriptum fuerit, *Et litant*, quum prior corripiatur in eo verbo. Sic enim alibi, *Et pilata redit*. quum utrobique *Atque* non *Et* poni debuerit. Scribe ergo:
Atque litant Latiæ tertia dona tribus.
Non aliter ſententia Epigrammatis poſtulat. non aliter ſcripſit Martialis. Populus continet, Equitem, Senatum, Tribus. Omnis populus litat, ſcilicet Eques, Senatus, Tribus, ſive Plebei. Hactenus Scaliger. At pace Manium eius dictum ſit, non pili eſt ea correctio. Receptam lectionem mordicùs retineo:
Et ditant Latias tertia dona tribus.
Per *Latias tribus* Romani populi tenuiſſimos intellige, quibus congiarium datum innuit Auctor. *Tertia dona* vocat munificentiam trium ordinum Vrbis, Senatus,

Senatus, Equitum, & Plebis, quos ſuperiori verſu commemoravit. Nam *Populus* hîc pro plebe capitur: appellatione *tribuum* viliſſimi quique & pauperrimi notantur: unde & *tribulis* pro paupere & egeno ac capite-cenſo ſumitur apud Horatium, & Poetam noſtrum lib. IX. Epigr. XLIX, & LVII. Claudianus habuiſſe in animo hunc locum videtur, Panegyrico in VI Conſulatum Honorij.

—— tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus. ——

Huc ſpectat & Plinius in Panegyrico Traiani: *Niſi verò leviter attingi placet locupletatas tribus, datumq́; congiarium populo.* Hoc igitur vult Martialis elegantiſſimo hoc Epigrammate: Dum narratur laurea Pannonici belli, atque adeò propter hæc proſperè geſta Senatus, Eques, Plebs publicè teſtatur lætitiam ſuam, interea Roma notabit aliam lauream tuam. quam? quòd tu perſpicis tuorum erga te animum: quòd tute tibi ipſe teſti credis de tuorum pio in te ſtudio. Nam totum Epigramma uno ſpiritu à capite uſque ad ultimum pentametrum percurrendum eſt, ſine diſtinctionibus periodicis; neque ſubſiſtendum priusquàm abſolveris. Mens, inquam, Poetæ eſt: Dum ad nuncium victoriæ tuæ, ô Germanice, tres Vrbis ordines litant propter triumphum Sarmaticum, hunc quoque alium triumphum notare animo debes, quòd ita intentum ſacris populum ob res geſtas tuas videns hoc aſſecutus es, ut tibi conſtaret de pio tuorum in te animo. Nam Principi non minor eſt triumphus hoſtes debellaſſe, quàm ſuorum erga ſe benevolentiam perſpexiſſe. Ita igitur, ut dixi, & edendum curavi, unico ſpiritu leges. Nam vulgò abſurdiſſimè,

Quid tibi de ſanctâ credis pietate tuorum?

Tolle interrogationem, & *Quod* non *Quid* lege, & continua cum ſuperioribus. Nec minor, inquit, erit iſta laurea, quod tibi αὐτόπτῃ credis de pietate

pietate & devotionem tuorum in te. Non enim aliijs recitantibus ex auditu certior factus es de eorum animo, ſed tu præſens vides intentos omnes rei divinæ ob tuam lauream. Pluribus jam & bís terve idem diximus, quia hactenus nemo aſſecutus eſt ne minimam quidem partem mentis Poetæ. quæ uti plenius planiusque lectoribus pateat, operę pretium exiſtimavimus (quippe ex muſtaceo hoc laureolā quærentes) bis idem Epigramma hîc apponere: primò ut corruptum vulgò & Cimmeriijs tenebris obſcurius circumfertur: deinde ut à nobis favente Apolline emendatum eſt, atque illuſtratum.

EPIGRAMMA XV. LIB. VIII.
juxta fidem Edd. vulgar.

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ara Iovem.
Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus,
* *Et ditant Latias tertia dona tribus.*
Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor iſta tua laurea pacis erit.
Quid tibi de ſanctâ credis pietate tuorum?
Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

* Sic utraque Editio Aldina. Sed princeps omnium, quotquot extant, hoc modo:
Et litant Latiæ tertia dona tribus.

IDEM PRISTINO NITORI REDDITUM:

Dum nova Pannonici numeratur gloria belli,
Omnis & ad reducem dum litat ara Iovem;
Dat Populus, dat gratus Eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus;
Hos quoque ſecretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor iſta tua laurea pacis erit,
Quòd tibi de ſanctâ credis pietate tuorum.
Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

Exigua, imô pauxillula interpolatio vide quantam lucem

lucem obſcuriſſimo loco adferat! Infinita talia ſunt in his Notis, ſi attentè legantur, & noſtra cum vulgatis conferantur, penſiculateque examinentur.

Summum virum Iſaacum Caſaubonum eruditiſſimis in Suetonium Animadverſionibus, lib. II. video laudare,

Et libant Latiæ tertia dona tribus.

Ad eundem Scriptorem Marcilius, Domitiani cap. CVI. legendum edicit,

Et ditant Latias tertia dona tribus.

Antiquè ſcilicet ſcriptum *Latias*, pro *Latiæ*. unde factum *Latias*. Cor Zenodoti! Nec ſaniora, quę ibidem de *ſecreto triumpho*.

EPIGR. XVIII.

Sic tua, Cirini, promas Epigrammata vulgo, &c.

Revocandum omnino hoc Epigramma ad priorum Edd. lectionem. Qui nuper interpolavit, corrupit, neque ferendus eſt. Legit ille, ſenſu minimè planiore, licet approbante Radero, *Vt tua, Cirini.* & verſu ſecundo, *Vel mecum, poſſis, vel* &c. Verſuque item ſexto, *Pindaricos noſſet.* Reſtitue, *Sic tua, Cirini.* Item, *Vt mecum poſſis.* Item, *Pindaricos poſſet.* Miror quid animi illi erat, quod hæc auſus ſit temerare. Fidem, inquies, membranarum ſuarum ſecutus eſt. Audio. Sed multa futilia ſunt in MSS. Quibus qui ſe totos dant, & plurimum tribuunt, næ illi ſæpe ridiculi ſunt, & librariorum vitrea fracta pro Auctorum gemmulis temerè exponunt. Iis plus deferri, quàm ſenſui, profectò non oportet.

In duobus exemplaribus video Scaligerum ad oram emendaſſe lemma hujus Epigrammatis, *Ad Cyrenium*, & in Carmine *Cyreni.*

EPIGR. XXVII.

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, ſeniq;
Si ſapis, & ſentis, hic tibi ait, Morere.

In duobus Codd. quos olim Daniel Rogerſius

contulit, ἀντὶ τῦ *hic* legitur *hoc*. Vnde ſcribendum fortaſſis atque interpungendum:

Si ſapis, & ſentis hoc; tibi ait, MORERE.

EPIGR. XXVIII.

Bætis in Heſperiâ t quoque lavit aquâ.

Ad germanam lectionem præit hic Scriptus Palatinus, repræſentans *lanitooc*. unde V. N. & A. Ianus Rutgerſius veriſſimè, *lavit ove*. Quam ingenioſam præſtantiſſimi amici coniecturam, auro contra caram equidem lubens profiteor. Studioſus lector ita meminerit reſtituere: & lucem petere ex huius libri Epigr. LXI. & lib. XII. Epigr. LXIV. & ultimo, itemque lib. XIV. lemmate CXXXI: *Lacerna Bætica. Me mea tinxit ovis.*

EPIGR. XXXIII.

An magis aſtuti deraſa eſt ungue miniſtri
Bractea, de fulcro quam reor eſſe tuo?

Malim cum Editione omnium principe, & priore Aldinâ, anni MDI.

Bractea de fulcro (quod reor eſſe) tuo?

EPIGR. XXXVIII.

Nomen non finis interire Blæſi.

Puto *BlæſI*, & ſic duobus locis apud Statium Epicedio Glauciæ Melioris ſcribendum, Sylvar. lib. II. In Vett. Inſcriptt. eſt *Blæſius Natalis* (ſed vixit hic ſub Imp. Gordiano iuniore) & *Blæſius Novius.*

EPIGR. XLII.

De noſtro, Matho, centies laveris.

Interpretantur de noſtrâ ſportulâ, quæ centum eſt quadrantum. Sed notum in re nummariâ *centies* non eſſe centum, ſed centena millia. Aut igitur ludens dicit *de noſtro centies*, aut aliud quid cogitandum doctioribus. Nam ego opem ferre non poſſum. Fortè *centies laveris*, id eſt ſæpè, & quando voles. *De noſtro*, ut lib. VII. Epigr. XLVI.

Et tua de noſtro, Priſce, Thalia placet.

EPIGR. XLIV.

Curris per omnes tertiasq́, quinctasque.
Horas videlicet. Nam quæ comminiſcuntur Interpretes,gerris Siculis putidiora ſunt,& germanæ nugæ.

Ibidem.

Flentes ſuperbus baſiabit eunuchus.
Rectum eſt τὸ *ſuperbus*, non *ſuperbùm* Codicis Palatini. quem cave incorruptiſſimum dixeris. In multis ridiculus eſt.

EPIGR. XLV.

Defluat, & lento ſplendeſcat turbida lino
Amphora, centeno Conſule facta minor.
Cùm Animadverſiones has meas raptim concinnarem, ſubiit mentem luculenta huius loci correctio,ſine quâ ſenſus nullus idoneus elici ſanè poteſt.Mira vaticinari Interpretes animadvertebam, &ab ijs ſeorſum ſentiebam : converſoque ad ingenium,ſuccurrebat legendum, *lino.* Optimè; neque aliter Martialis ſcripſit. Vult generoſum vinum centum annorum, quale Opimianum Falernum Trimalcionis apud Petronium, percolari ac defecari. utique annoſo ſitu craſſum ac turbidum, potumq́ue attenuari & tranſmitti per ſaccum,ut liquidius iucundiusq́ue flos Liberi hauriatur. De colo Noſter in Apophoretis, ſub lemmate *coli nivarij*:

Setinos, moneo, noſtrâ nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Ibidem, *Saccus nivarius:*

Attenuare nives norunt & lintea noſtra:
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

Coli nivarij meminit Pomponius I. C. ff. De auro & argento legato. l. *in argento.* Ciceroni II de

finibus ex Lucilio *ſacculus*. Vinum liquari ſacco inverſæ metæ ſimili, ait Columella de Re Ruſticâ lib. IX. cap. XI. Plinius dicit vina caſtrari ſaccis, lib. XIX. cap. IV. Vnde Horatius lib. II. Serm. II.

——— *Atilla*

Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Vetus Gloſſarium: *Deſeco, ſico, ſacco percolo.* Aliud Latino-Græcum, ſed Latinis literis exaratum: *Saccat, ulifei.* id ὑλίζει. Tertullianus dixit, *defecare ſenectutem vini:* Seneca, *diffundere vina veterana.* Natural. Quæſt. lib. IV. cap. XIII. Symmachus Epiſt. XXIII. lib. III. *Muſta defecare.* Cætera quæ huc faciunt, & in promptu ſunt, tranſimus: plus ſatis namque garrivimus. Vnum addam, Sacci vinarij, ut & dolij Romani picturam conſpici in præclaro Opere Inſcriptionum & Antiquitatum incomparabilis Gruteri, pag. DCCCXXVIII, 5. Sed alia quàm metæ inverſæ ibi forma. Inſtrumentū nempe eadem qua ſupra capacitate, ſed paulo rotundius, infra deſinens: diverſumq; à *manica Hippocratis*, quæ vulgo in officinis Pharmacopæorum ita appellatur, & verè meta inverſa dici poteſt.

Lento lino dicit, quia paullatim diſtillat vinum cùm diffunditur per colum, ut exuat ſenium, craſſitiemque longâ vetuſtate collectum. Quod ait *amphoram minorem factam*, intellige non multis indè poculis ſumptis aut detractis congijs, ſed centenorum annorum morâ exſiccatam, imminutamque.

Hæc parumper ſubſiſtenti ad hunc locum mihi in mentem veniebant: ſalvo aliorum iudicio. Meliora ſuggerenti facilè cedam.

EPIGR. XLVI.

Te ſecum Diana velit, doceatq; natare.

Ita vulgariæ Edd. Sed cur damnari debet priſca optimi libri lectio? *Doriûq; natare.* Quomodo nos edidi-

didimus, & annotatum Scaligero in ora codicis ſui ex alio Veteri.

EPIGR. LI.

Imbuat egregium digno mihi nectare munus
Non grege de Domini, ſed tua certa manus,
Ceſte decus menſæ: miſce Setina.

Expreſſa ſunt hæc ab operis ad fidem exemplaris Gruteriani: cùm tamen editum cupiebam, *ſed tua Ceſte manus, Ceſte decus menſæ.* quomodo priùs vulgabatur: & Scripti plurimi adſtipulantur. Ita repone. Licet in Commentario etiam illud *certa* Domitius agnoſcat, & interpretur.

Ibidem.

Det numerum cyathis INSTANTI *littera* RVFI,
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethuſa venit, promiſſaq; gaudia portat,
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo:
Si dubia eſt, ſeptunce trahar: ſi fallit amantem,
Vt iugulem curas, NOMEN VTRVMQVE *bibam.*

Palpant hîc in tenebris Interpretes. Ego obſcuriſſimum locum hoc pacto illuſtrandum arbitrabar.

Servabor dominæ, Rufe, triente tuo.

Aliud eſt potare trientem, aliud potare trientem tuum. Potare trientem, eſt quatuor calices ebibere; id eſt, quatuor uncias Sextarij. Sed trientem tuum potare, eſt potare tot uncias ſextarij, quot ſunt literæ trientis nominis tui. INSTANTIVS RVFVS, ſunt XV literæ: Triens ſunt V. ergò RVFVS. *Servabor triente tuo*, id eſt quincuncem bibam, quot ſunt literæ in triente nominis INSTANTIVS RVFVS: & ſic parciùs bibendo ſervabor dominæ, nec ineptus ero ad Venerem. *Si dubia eſt.* id eſt, ſi neque adnuit, neque renuit ſe venturam, ſed aliquam ſpem facit adventus, *ſeptunce trahar,*

 bibam

bibam ſeptem uncias ſextarij : utique dimidium præter-propter cyathorum literarumque INSTANTIVS RVFVS. in quo nomine literæ & cyathi XV. ex quibus ſeptuncem ſe haurire velle dicit, ſervato beſſe reliquo ad iugulandas curas, & ſomnum conciliandum. * *Si fallit amantem,&c.* ſi omnino non venit, *nomen utrumque* bibam, tot nimirum calices, quot utrumque nomen INSTANTIVS RVFVS literas habet. Sextarium nempe & quadrantem, ſeu quindecim cyathos. Quare velit plus potare, ſi promiſſa gaudia non portat amica, quàm ſi adeſſet? Non eſt quærendum. ipſemet declarat, *ut iugulem curas.* ut obruam vino memoriā perfidiæ eius, quæ, ut ſpoponderat, non venerit. Quare autem velit minus potare venturâ amicâ, non eſt obſcurum ex libro primo, Epigr. CVI.

Interponis aquam ſubinde, Rufe. &c.

Hæc vera eſt, niſi me animus fallit, huius loci expoſitio. De more ipſo bibendi ad literas nominum carorum & amicarum, Philologi iam fusè diſſeruerunt. Et explicat abundè Poëta noſter, Lib. I. Epigr. LXXI. item lib. IX. Epigr. XCIII. itemque lib. XI. Epigr. XXXVII. & denique lib. XIV. Epigr. CLXIIX. Neque fugit Lotichium Secundum, Poëtam Germanum, ſuetos Veteres in compotationibus ad numerum literarum, quas amicorum amicarumve nomina habebant, bibere. Expreſſit rotundiſſimo & feſtiviſſimo Carmine ad Ioannem Altum ſuum:

Sæpè mea nomen ſimul inter vina puellæ
More iubes priſci temporis, Alte, bibam.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia ſeptem
Dat cyathos; & iam frigida fugit hyems.
Quid faciam ſicci cùm terga Leonis adibit
Phœbus, & ingratus faucibus æſtus erit?
Ergo mea propter nomen breve cogar amicæ
Ferre ſitim? tanti nulla puella mihi eſt.

Non

Non tamen hanc dominam mutabo,ſitimq́ levabo.
Quid facies igitur, quæris? amabo duas.

Tu, inquit, deuncem, ſive undecim cyathos potas, ego verò ſeptuncem, ſeu poculum ſeptem cyathorum. Alibi iterum idem Germaniæ ſuæ Phœbus ſuaviſſimo Epiſtolio ad Martinum Fabrum, amicum ſuum, morem eundem diſertè reſpicit; quantum ego video. Nam non omnibus liquere arbitror, præſertim antiquitatum ignaris. Recitabo magnam partem clariùs, ut & illud de plano in poſterum legi, & à rudioribus quoque intelligi poſſit. Doctiores recentibus exemplis veniam daturos, atque hæc abſque faſtidio lecturos ſperamus.

Chare Faber, quem non fabricando Mulciber æquat,
Ætherei quamvis ſit faber ille Iovis. &c.
En redit Vlricus, redit Herdeſianus, & Altus.
Qui meritò Iani nomen & omen habet.
At vos, dum liquidi celeberrima flumi. a Sala
Accolitis, memores nominis eſſe mei:
Lataq́ dum poſito trahitis convivia Bacche,
Trabibo, dic etiam, care Secunde tibi.
Sic tibi ſint faciles Muſæ, ſic dexter Apollo
Felix, Muſarum cui licet ore loqui.
Hæc tibi contingant: me tertia littera torquet,
Littera ſed votis non ſatis æqua meis.
O, vtinam mecum teſtudine ludere dulci
Ad dominæ poſsis nocte ſilente fores!
O, vtinam! ſed quid mihi proſunt irrita vota?
Pocula iam reſtant evacuanda mihi. VALE.

Iocatur facetiſſimns Poëta, rogatq́ue Fabrum, Vlricum, Hardeſianum, & Altum, ut cùm epulis vinoq́ue pariter indulgent, non oblivìſci velint Secundi, bibendo ad numerum literarum nominis ſui: ſe verò quo minus idem amicis ſuis præſtare poſſit, urbanè admodum excuſat, primosq́ue amores ſuos Claudiam (quam intelligit per *tertiã literã*) prætendit, cui erat ſeptunce ſalus propinanda,

 & nun-

& nunciandus affectus. Atque hæc quidem hactenus. Ad Martialem revertamur. Mea igitur huius loci interpretatio quò certior omnibus habeatur, non pigebit conie&ctures aut ſomnia Commentatorum audire. Iunius : RVFI, *quaternis literis trienti, id eſt, uncijs quatuor reſpondet: at* INSTANS *ſeptunci, hoc eſt ſeptem uncijs.* Gruterus: *Cuperem oſtendiſſe Interpretes, ſicut quatuor tantùm literæ ſunt in voce* RVFI, *ſic eſſe ſolummodò ſeptem in voce* INSTANTIS. *nam ſi dicant ſumendum eſſe caſum alterum* INSTANS. *quæram, quot literas habeat ejuſdem caſûs dictio* RVFVS. *Quare rectum* INSTANTI. *Sic omnino Palatinus, non* INSTANTIS. Raderus Curis ſecundis: INSTANTIS *nomen in primo & quinto caſu ſeptem continet literas. hoc loco pro quinto accipias* INSTANS RVFE. *Gruterus non explicat ſe, implicat magis, cùm reſcribit* INSTANTI RVFI. *Nam* INSTANTIVS *quocunque caſu plures habet quàm ſeptem literas.* &c. Raderiana hæc plus æquo valuerunt apud V. Clariſſimum, ut emendationis ſuæ ipſum pœniteret, atque INSTANTIS non INSTANTI reponendum publicè teſtaretur. Quod profectò factum nollem. Rectè enim monuerat antea: nullumque dubium eſt quin ſcribi debeat, INSTANTI *littera* RVFI. Non *Inſtans* Rufi nomen fuit, ſed *Inſtantius.* Cuius item alibi apud Martialem fit mentio. Lib. VII. Epigr. LXIIX.

Commendare meas, INSTANTI RVFE, *Camœnas*
Parce precor ſocero: ſeria forſan amat.

Et octavi huius Epigr. LXIII.

INSTANTI, *quo nec ſincerior alter habetur.*

XCV. & ultimo denique Epigrammate lib. XII.

Ominibus lætis veſtras INSTANTIVS *oras Intret.*

Hoc verum ejus nomen. Neque duo diverſi fuêre, quod hariolatur Raderus, *Inſtans Rufus*, & *Inſtantius Rufus.* Nec, quod eidem videbatur, ullus *Inſtans Inſtantius Rufus* fuit. quæ ridicula eſt appellatio. Pergamus.

EPIG.

EPIGR. LIV.

Diligeris populo non propter præmia Cæſar,
Propter te populus præmia Cæſar amat.

MS. optimus non *præmia* habet, ſed *munera*, utroque loco. Haud ſpreverim. Ovidius.

—— gratiſſima ſemper
Munera ſunt, auctor quæ pretioſa facit.

Et Martialis alibi.

EPIGR. LV.

Tantus in Auſoniâ fremuit modò terror arenâ:
Quis non eſſe gregem crederet? unus erat.

Hunc leonem nos non dubitamus eſſe eum, quem Carpophorus interfecit. De quo Spectaculorum Epigr. xv.

Stravit & ignotâ ſpectandum mole leonem,
Herculeas potuit qui decuiſſe manus.

Ibidem.

O quantum per colla decus, quem ſparſit honorem,
Aurea lunatæ cùm ſtetit unda iubæ.

Attendendum eſt hic ad rarioris ſignificationis & notionis vocabulum. Nam *unda*, me interprete, inſolenter pro ſplendore iubæ dicitur. Lib. VI. Epigr. XIII. ubi de ſtatuâ Iuliæ loquitur:

Et placido fulget vivus in ore liquor.

Vide quæ illic notamus. & adjunge loco Horatiano Noſtrum lib. IX. Epigr. LVI. de puero formoſo, *dum vultu lubricus.* Sic & Ovidius. *Lunatæ* autem *iubæ*, Belgæ hodieq; equinas iubas Manen appellant.

EPIGR. LVI.

Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille.

Antiquam lectionem reſtitui. nam *Abſtabat*, quod Gruterianâ Editione irrepſit, merum delirium eſt librarij. Quomodo abſtabat menſis puer Alexis, ſi miniſtrabat vinum? Certè eum, qui poculum

M 5 præbeat,

præbeat, menſis adſtare non abſtare oportet. Nolle admiſiſſet optimus doctiſſimusq; amicus noſter tam inſulſam Codicis Palatini ſcripturam. Mirum in modum viri quidam docti ſe membranis addicunt, in quibus multa futilia ſunt, & ſæpè centuplo peiora vulgatis. In lectione veterum Codicum opus eſt delectu.

Ibidem.

Ergo ero Virgilius, ſi munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marſus ero.

Ita reponatur, ducibus optimis MSS. & adſtipulantibus omnibus ferè Edd. ſelectioris notæ; Editione principe, utraque Aldinâ, &c. Mihi illud *Marcus ero* (quod in Edd. Colinæi, Gryphij, Boullierij, &c.) vehemẽter diſplicet, & in extremas terras portandum videtur: Marſus poëta inter cætera ab elegantiâ Epigrammatum celebratur. Et Noſter

Nec Marſo nimium minor eſt, doctoq; Catullo.

uti arbitrâ famâ de ſeipſo prodit libr. VII. Epigrammate ultimo. Et Marſi præterea alibi non ſemel meminit. Hunc in Epigrammate æmulabatur potiſſimùm Martialis.

Ibidem.

Alciatus VI. Parergorum cap. XI. pro *ſi* legit *ſin*, id eſt, *ſi non*. Cui ſi auſcultandum, tunc verò *Marcus* non diſpliceat; diſtichonque hoc modo interpungendum, & legendum:

Ergo ero Virgilius. ſin munera Mæcenatis
Des mihi, Virgilius non ero, Marcus ero.

Sed prior lectio non ſollicitanda, utique MSS. Codicum auctoritate ſubnixa, & Edd. meliorum conſenſu.

EPIGR.

EPIGR. LVIII.

Cùm tibi tam craſſæ ſint Artemidore lacernæ,
Poſſim te Sagarim iure vocare meum.

Sagaris nomen proprium pannoſi hominis. Perſona Comica apud Pomponium Præcone poſteriore:

Age modò Sagari, particulones producam tibi.

Ita legendum apud Nonium in *Particulones*. Vetuſtiores Editiones habent hîc *meum*, non *meo*. Ita Martialis ſolet loqui, cùm de quodam noto ei ſermo, dicit *meum*, aut *tuum*. Vt lib. V. Epigr. XXIII.

Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

Item lib. II. Epigr. LVII.

Quem non lacernis Publius meus vincit.

Vbi Codrus Publiuſque pannoſi, ut iſte Sagaris. Similiter de Apollonio Rhetore, lib. V. Epigr. LIV.

Extemporalis factus eſt meus Rhetor.

Laudo itaque *meum*, & *meo* præfero. Ita MSS. plerique, Editio princeps, Aldi prior, ſed poſterior *meo* habet. ut deinceps ſecutæ Plantinianæ, & aliæ.

EPIGR. LIX.

Ne contemne caput, nihil eſt furacius illo;
Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Ita hactenus Editi omnes, manifeſto barbariſmo. Nam *picata*, non *piceata* dicendum fuit: niſi velimus piceam pro pice accipere. quod ridiculum. Optimus codex Germanicus, & alter Douſæ membranaceus habebant: —— *tam piperata manus.* Quod cùm raritate & elegantiâ ſe nobis ſtatim approbaret, atque arrideret etiam ipſi Scaligero, non paſſi ſumus diutius exulare, Auctorique ſuo γνήσιον fidenter aſſeruimus. Hæc vera profectò lectio eſt, tranſlato acumine piperis in acutos ungues furis. An lepidè calidam manum vult dicere, pro furaci: Quò faciat Macrobius inſigni loco, Saturnalio-

naliorum lib. VII. cap. III. *L. Quintius*, inquit, *Prætor de provinciâ nuper reverterat, obſervatâ (quod mireris Domitiani temporibus) præturâ maximâ caſtitate. Is cùm æger aſſidenti amico diceret, frigidas ſe habere manus, renidens ille ait*: ATQVI EAS DE PROVINCIA CALIDAS PAVLO ANTE REVOCASTI. *Riſit Quintius, delectatusq; eſt; quippe alieniſſimus à ſuſpicione furtorum. contra, ſi hoc diceretur reo e ſibi conſcio & ſua furta recolenti, exacerbaſſet auditum.* Nec abludit Plautus, Epidic. Act. V. Sc. II.

Vt illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
Apage illum à me. nam ille quaſi Volcani irati eſt filius,
Quaquà tangit, omne amburit: ſi propè adſtes, calefacit.

Quis non videt adulterinam eſſe vulgg. omnium, quotquot exſtant, codd. lectionem, *piceata*, & τὸ *piperata*, membranarum auſpicijs erutum nunc primùm, penatibusque ſuis poſtliminio à me redditum, reſipere genium Martialis neget?

EPIGR. LXV.

Hic gemini currus numerant elephanta frequenter.

Quis hæc intelligit? Magnus Scaliger tentabat:

Hic geminum currus numerant elephanta frequentes.

Id eſt, in illo Domitiani arcu Triumphali frequentes ſunt bigæ elephantum. Sed in Numiſmatibus Domitiani Triumphali arcui impoſitæ ſunt binæ quadrigæ elephantorum, non bigæ. Ergo cùm viderem præterea illud *gemini* fideliores libros unanimi conſenſu cuſtodire, ab eo mihi non diſcedendum putavi, & ſcripſi:

Hic gemini currus numerant elephanta frequentem.

Placebat tamen Scaligero, ita clarè bigas à Martiale deſcribi, ut negari non poſſit: cùm verſu ſequenti dicat:

Sufficit immenſis aureus ipſe iugis.

Ecce, inquit *Iuga*: quod de bigâ propriè accipitur.

Sed

Sed quid vetat, & quadrigas & bigas triumphales in eo Arcu fuiſſe? Frequentiùs quadrigas in Nummis ſpectamus: ſed in Tiberianis non ſolum quadrigæ, ſed & bigæ extant.

Ibidem.

Sufficit immenſis aureus ipſe iugis.

Vnis ex illis bigis triumphans invehitur Domitianus.

EPIGR. LXVII.

Cùm modò diſtulerint rauca vadimonia quarta.

Ita optimus Codex, & ita Editio princeps: Malè in utraque Aldinâ, & cæteris, *charta.* Rejecit iure doctiſſimus Gruterus, & ita edidit. à quâ pulcherrimâ lectione Raderum abire miror. Ab horâ autem tertiâ ad quartam litigabatur in foro. Ideo *raucam* dicit. Lib. IV. Epigr. VIII.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos:
In quintam varios extendit Roma labores.

Ergo differebantur aut dimittebantur lites quartâ ineunte. Superiùs Titullum divitem avarum, & iam tùm vergente ætate ardelionem, ad vitam genialem adhortatur, & captatum ſatis inquit:

Sed omne limen conteris ſalutator,
Et mane ſudas Vrbis oſculis udus:
Foroq; triplici ſparſus ante equos omnes,
Ædemq; Martis, & coloſſon Auguſti
Curris per omnes tertiasq;, quintasq;.

Eſt, puto, Epigramma huius libri XLIV.

Ibidem.

Manè veni potius. nam cur te quinta moretur?
Aut cur non ſerò, Caciliane, venis?

Non aliter aut Calderiana, aut Editio princeps, cum

cum utraque Aldinâ, & alijs. Membranæ : *nam eum te q. m.* Item, pro *Aut cur non ſerò*, habent: *Vel potius ſerò*, &: *Vt ante ſerò*. Ex prioris lectionis veſtigijs videtur pentameter legendus:

Vt potes, ſerò Cæciliane venis.

Nam conviva hic dulcis & calidæ potionis gratiâ Martialem acceſſiſſe cenſendus, atque ut thermopotaret. Dixit enim antea:

Caldam poſcis aquam. nondum mihi frigida venit.
Alget adhuc nudo noſtra culina foco.

Nondum ignis excitatus. nondum ahenum ſupra focum pendet, in quo potus calefiat. Intempeſtivùs igitur advenis. Cæterùm veſtigijs poſterioris ſcripturæ inhærenti legendum videtur:

Vt iantes, ſerò Cæciliane venis.

Quomodo edidimus. Viſumque ita olim emendandum ingenioſiſſimo Mercero. Senſu argutulo, Citiùs veniſſe Cæcilianum ad cænam, ſeriùs autem ad ientaculum. Nondum tamen mihi divinatio altera, *Vt potes*, evileſcit. Vtra melior, docti lectoris eſto arbitrium. Ioannes Iſaacius noſter Pontanus, me refragante (fatebor enim) invenit, quo veterem lectionem tueretur atque exponeret, Notis ad Macrobium, Saturnal. lib. II. cap. III. ad hunc Tullij iocum: *Minimè ſerò veni: nam nihil hic paratum video.* Vide.

EPIGR. LXXI.

Libra fuit quinto Septitiana. quid eſt?

Haud dubiè Martiali genuinam lectionem reddidi, cùm frigidè antea eſſet, in vulgg. omnibus, etiam in caſtigatiſſimâ Gruterianâ:

Libra fuit quinto Septitiana quidem.

Exaratum nempè fuit *quidē.* quod reſolvit quidam ſciolus in *quidem.* illudque mendum deinceps propagatum. Pro lectione noſtrâ ſtat ipſe Martialis, ſic alibi loquutus: hoc libro, Epigr. XVII.

Miſiſti

Miſiſti nummos quot mihi? mille. quid eſt.

Vbi etiam codex unus aut alter Scriptus *quidem* habet. Quod perſuadeat me verum conjeciſſe. De librâ Septitianâ Noſter lib. IV. Epigr. penultimo:

Ergo nec argenti ſex ſcriptula Septitiani,
Miſſa nec à querulo mappa cliente fuit?

EPIGR. LXXII.

Docti patria Narbo Votieni.

De nihilo non eſt, quòd in melioribus Codicibus ſcriptis, & vetuſtiſſimâ omniumque primâ Editione legatur:

Docti Narbo Paterna Votieni.

Quod Auctori reſtituendum, meâ fide, iam diu eſt quod monuit Pontanus noſter in Appendice Itinerarij ſui Gallicani. Hoc longè quid aliud eſt, quàm quod paſſim circumfertur. De quo legeſis doctiſſimum mihique amiciſſimum virum, modò laudatum.

EPIGR. LXXV.

Lingonus à Tectâ, Flaminiaq; recens.

Ita habet Optimus liber. ita edidit vir optimè de bonis literis meritus Ianus Gruterus. Veriſſimè. Huius Tectæ viæ mentio eſt in L. Annæi Senecæ ἀποκολοκυνθώσει, ſeu de morte Claudij Ludo. Quamquam hodiernæ Editiones habent *rectam*. Sed omnes Scripti conſtanter retinent *tectam*. Sub finem ferè: *Per campum Martium, & inter Tiberim & viam Tectam deſcendit ad inferos.* Omnes veteres *Viam tectam* legere, teſtatur præter alios v. cl. Nicolaus Faber; addito, nunquam hanc Viæ denominationem ſibi apud Auctores obſervatam; factâ ſolummodò *recta* mentione ex corruptis Martialis exemplaribus. Doctiſſimo Iunio noſtro videtur *Via tecta* dici, quòd velis tegebatur. Grutero,

quòd

quòd fornicata eſſet, obſequente ei Iulij Obſequentis loco,de Prodigijs cap. XXXII. Viam Fornicatam & Tectam unam eandemque mihi perſuadeo : quòd utramque propè viam Flaminiam,& ad Campum fuiſſe Livius & Seneca, præter Martialem,atteſtentur.Livius lib.ab V.C.XXII. *In viâ Fornicatâ* (inquit) *qua ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti,exanimatiq;*.Romæ inſtaurator & pater Hiſtoriarum Onuphrius Panuinius in Deſcriptione Vrbis: *Via Fornicata meminit Plinius:quam propè Flaminiam fuiſſe liquet, eâ parte quâ fuerunt Septa, & Ovile.*Et his continuò de *via Recta* ſubjungit,ex Seneca, Martiali & Ovidio.Apud quem tamen *recta* perperam pro *Tecta* hodie cuſum, in Faſtis:

Lux eadem Marti feſta eſt,quam proſpicit extra
Appoſitum Tectæ porta Capena viæ.

Quid vetat doctorum virorum coniecturis de appellatione *Via tecta* etiam meam addere?Puto *viam tegere*, nihil aliud eſſe, quàm *munire*. Itaque in vetuſtiſſima Inſcriptione Tiburtina (apud Grut. pag. CL,& duobus alijs locis eadem repetita) legitur:

C.RVSTIVS. C. F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIVS. L. VITVLVS. ITER
IIII. VIR. D. S. S
VIAM INTEGENDAM
CVRAVERE.

Quod nihil nobis aliud videtur, quàm *ſternendam*, &, quod in alijs monumentis antiquis eſt, *muniendam curavére.*

Ibidem.

Ingenti domino ſervulus unus erat,
Tam macer,ut minimam vix poſsit ferre lacernam.

Robertus Titius Controverſ. Locor. lib. VII.cap. XI)& antè eum Ioannes Auratus emendarunt *lucernam*.quòd præcedebat,

Dum repetit ſerâ conductos nocte penates.

Nec

Nec aliter meliores Membranæ, quæque inſtar optimi Scripti eſt, Editio omnium prima. Nam in utraque Aldinâ & alijs pôſt ſecutis, *lacernam.* Quod cùm prorſus ridiculum Grutero videretur, *lucernam* edidit, & nos ſecuti ſumus. Quamquam non omnino nunc τὸ *lacernam* ſpreverim. Siquidem videri poſſit circumlatam eam fuiſſe à ſervulo, ad uſum domini; ſi pluvia ingruiſſet, aut ſimile. Lacernam namque breve indumentum fuiſſe ad arcendam pluviam, ex Ciceronis Philip. II. & Plinio (lib. XVIII. cap. XXV) ut alios omittam, conſtat. Et lacernam minorem capitio dicit Feſtus Pompeius, aut ejus abbreviator Paulus Diaconus. Capitium autem veſtimenti genus eſt, quod pectus capiat, & comprehendat brachia. Si eo brevior eſt lacerna, ſervivit propriè ad tegendum caput atque humeros. Martialis lib. XIV. ſub lemmate PILEVS:

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

Puto lacernam hujuſmodi ſive cucullionem innui. Quæ & *pænula* quandoque appellatur. Ibidem Noſter ſub lemmate, POENVLA SCORTEA:

Ingrediare viam cælo licet uſque ſereno,
Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

L. Seneca Quæſtion. Natural. lib. IV. cap. VI. *Hi cùm ſignum dediſſent adeſſe iam grandinem, quid exſpectas? ut homines ad pænulas diſcurrerent, aut ad ſcortea?* Varro Virgulâ divinâ: *Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, pænula in imbri.* Sed, an legendum potiùs in Seneca *ſcorteas?* Ita videtur. at cave, *tegetes* interpreteris: Quomodo quidam nugantur.

EPIGR. LXXX.

Sanctorum nobis meracula reddis avorum. &c.

Valdè falluntur, qui putant hîc agi de pugilibus, quos Cæſar Domitiauus in arenam revocaverit.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. IX.

EPIGR. AD AVITVM.

Epigramma hoc geminum ad Stertinium V. C. quem Avitum vocat in carmine, extra numerum reliquorum Epigrammatum, extraque ordinem paginarum, in fronte ita collocavimus : diverſo etiam charactere. Quod monendum duximus, ne quis miretur inſolitam libri faciem. Nullos enim habemus hîc MSS. duces, ſolâ conjecturâ ducti, motiq; (quod rei caput eſt) Auctoris Epiſtolio. quod Epigrammati etiam ſubjecimus, commutato ordine vulgg. Quibusdam MSS. libris deeſt Epiſtolium.

Ibidem.

Note licet nobis ſublimi pectore Vates.

Hæc etiam mutatio à nobis eſt. Hactenus editum: *Non te celabis.* Britannicus Iunij: *Latè lucebis.* Vnus meus non admodum vetus, *Note licebis.* Iam antè annos viginti, & quod excurrit, hunc locum ſuſpectum habere cœpimus. Palatinus Gruteri & optimus liber alius habet, *Nocte licet nobis*: una ſcilicet literula plus, quàm opus eſt. Legendum enim: *Note licet nobis.* Quomodo disertè in Codice eſſe Florentino poſteà didici. Quamvis notus, inquit, nobis ſublimi pectore, & ſtudio Poëtices, non tamen dedignaberis hoc Epigrammation noſtrum imagini ſubjicere. Potuiſſes ipſe divinius aliquod pangere, &c. Pudet itaque nos, quòd te notum nobis ſublimi pectore, audeamus tamen morari nugis noſtris; nimirum Epigrammatio, quod extra ordinem paginarum adiecimus. Hæc mens Poëtæ, quem quis antea hoc loco intelligebat?

Ibidem.

Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus. &c.

Hoc tetraſtichon aliâ literâ concepimus. Eſt enim id, quod à Stertinio ſuo vult ſubiici imagini ſuæ.

EPIGR. VI.

Pudice Princeps, gratias agunt urbes:
Populos habebunt. parere iam ſcelus non eſt.

Quid hac lectione argutius? quid planius? Tamen magni nominis vir publicè profitebatur nuper, ſe non capere: præferebatque M S. ſui ſcripturam, *Populus habebunt,* videlicet *gratias.* Ita etiam cepiſſe Martialem videntur librarii, qui hîc ſcribebant, *Populiq; habebunt.* Nugæ, nugæ. Vrbes, inquit, Domitiano gratias agunt, quòd promulgato Edicto spadones fieri, ac revocatâ lege Iuliâ adulteria prohibuerit, & infandas libidines ſuſtulerit. Hinc prole multâ fundabunt domos, augebuntque familias. Hoc dicit ille, *Populos habebunt.* &c. Omnem

porro

porro dubitandi anſam præſcindit ipſe Martialis, lib. VI. Epigr. II.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tedæ:
Luſus & immeritos exſecuiſſe mares:
Vtraque tu prohibes Cæſar, populisq́; futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude iubes.
Nec ſpado iam, nec mæchus erit, te præſide, quiſquam.
At prius (ô mores!) & ſpado mœchus erat.

Lege & octavum noni huius libri Epigramma. Sueton. in Domitiano cap. VII. & Stat. in Sylvis de Earino. Xiphilinus ex Dionis lib. LXVII. de Domitiano: Ἀπήγορευσεν ἐπ' ἐκείνου (Titi fratris) ὑβρει μηδένα ἔτι ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι.

EPIGR. XI.

Sed tu ſyllaba contumax rebellas.

Reponatur, *repugnas.*

Dicunt Eiarinon tamen poëtæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et quos ἄρες ἄρες decet ſonare.
Nobis non licet eſſe tam diſertis, &c.

In Veteri Inſcriptione pag. CCCCLX, 9. eſt ATILIA IARINA CONCVBINA. Ἐαρινὸς ergo vocabatur, non Εἰαρινός. Græci, inquit, pro Ἐαρινὸς permittunt ſibi dicere Εἰαρινός. Pag. DC, 7. EARINVS CAES. SER. PEDISEQVVS. Ἐαρινός. Pag. XXX, I. M. EARINIVS CARVS. Μάρκος Ἐαρῖνος Κᾶρος. Rectè mihi dixiſſe videtur Rhetor Seneca, *Latinam linguam facultatis non minus habere,* Græcâ, *licentia minus.* Controvers. XXXIII.

EPIGR. XII.

Dictus ab æſtivo θέρος mihi menſe vocarer.

Illud *mihi* meritò mihi ſuſpectum. Nec medicina in promptu. Vide, an ſubſtituendum, *nunc*, vel *modò*, aut ſimile quid aliud. Sententia *ſi* poſtulat. Aut pro *Dictus* ſcribendum eſt *Nomen.* Sed poſtea in Editione principe inveni *tibi.* Non malè.

EPIGR. XV.

Inſcripſit tumulo ſeptem celebrata virorum
Se FECISSE *Chloë. quid pote ſimplicius?*

Vide, ſodes, acumen Epigrammatis. Alludit Poëta ad verba epitaphijs inſcriptionibus ſolennia, F. C. id eſt, FIERI CVRAVIT. &, F. id eſt. FECIT. Quod de epitaphio intelligi poteſt, vt vulgo ſolet. vel de maritorum cæde, cujus ſceleris hîc Chloen damnat Martialis. Quæ venefica communi titulo uſa monimento inſcripſerat: CHLOE FECIT. De aliâ ejuſdem notæ Iuvenalis,

-------- *Sed clamat Pontia*, FECI.

Nam qui, quæve hominem interfecerat, cæde perpetratâ, ſolebat proclamare, FECI. Varro de Re Ruſt. lib. I. ipſo fine: *Ille flens narrat ab neſcio quo percuſſum cultello concidiſſe, quem qui eſſet animadvertere in turbâ non potuiſſe, ſed tantummodò exaudiſſe vocem* PERPERAM FECISSE. Quintilianus Declamat. XI. *Miſer ego nec ad cadavera acceſſi, non in ſepulchra maiorum meis manibus intuli, nec licuit ſuper ipſa corpora proclamare,* NON FECI. Quæſitores olim ſeu Prætores qui de crimine aliquo publico cognoſcebant, reo convicto, pronunciare ſoliti, FECISSE VIDETVR. Cujus Formulæ meminit Cicero extremâ oratione in L. Piſonem, Alijque.

EPIGR. XVII.

Hos tibi laudatos domino ſua vota capillos.

In veterrimâ & omnium primâ Editione diſertè ita perſcriptum. Illud *laudatos dominorum voce capillos*, flagitioſè invectum eſt ab Aldinis. Sic utraque habet Editio. Peſſimè. Hanc ſcripturam, præter Palatinum Gruteri, confirmat Codex Florentinus.

EPIGR. XXII.

Quem permutatum nec Ganymede velis.
Scribe: *velit.*

Ibidem.

Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas.
Aſinus quidam Poëticarum legum incurioſus hîc legit *luculenta*. Apage emendandi & ſana quæque pervertendi pruriginem.

EPIGR. XXVI.

Audet facundo qui carmina mittere Nervæ,
Pallia donabit glaucina, Coſme, tibi.
Coſmus eſt myropola, qui pretioſiſſima unguenta & rariora delicatis & mollibus vendebat, innuente id non uno loco Martiale. Quid ſeplaſiario cum pallijs? an unguentarius pallia quoque conſuit? Deinde, quid ſunt *pallia glaucina*? *Glauca* agnoſco, *Glaucina* planè ignoro. Non enim magis *glaucinon* à *glauco* facies, quàm ἐρυθραινὸν ab ἐρυθρὸν. Quamvis Heſychius Καλλαΐον pro Καλλαϊνὸν, id eſt flavum, agnoſcit. Lexica vulgaria, & ipſe Rob. Stephanus in Theſauro L.L. producunt hunc locum Martialis unicum, quando *glaucinum* pro *glauco* dictum probare volunt. Sed corrigatur ipſorum error, & indubitanter lege:
Pallida donabit glaucia, Coſme, tibi.
Glaucium eſt ſuccus expreſſus ex herbâ papavari corniculato ſimili. Notum cuivis rei Herbariæ ſtudioſo. *Pallida* dixit, quia Κροκίζον τὸ γλαύκιον Dioſcoridi. Glaucia itaq; conveniunt unguentis Coſmi, ut Corſicum mel Hyblæo. De veritate lectionis nō potes dubitare. Si quis *glaucina* retinere volet, non pugnabo: dummodò alio ſignificatu, quàm Lexidia, accipiat. Quandoquidem *Glaucina* l.23.§.1.ff. De aur.arg. inter unguenta numeran-

tur, quæ valetudinis cauſsâ parata ſunt. Et glaucini olei factitij meminit Plinius lib. XV. cap. VII. & lib. XXIII. cap. IV. Dioſcorides lib. I. glaucina conſtare ſcribit ex omphacino oleo, iunco odorato & muſto. Eiusque conficiendi rationem pandit Columella lib. XII. cap. XV.

τὸ *Pallida* agnoſcit Editio Veneta vetus, anni MDX.

EPIGR. XXVII.

Pingantq; ſæva cana labra volſella.

Cùm antea eſſet *Purgentq;*, Grutero morem geſſimus, ſcripſimusque *Pingantq;*. Nunc ferè malim *Pungantq;*.

Ibidem.

Occurrit aliquis inter iſta ſi draucus.

Ita correximus. Nam qui ediderunt, *inter iſta draucus &c.* (quomodo utraque Aldina) non viderunt ex Scazonte Iambicum factum. Et hæc lectio omnes libros hactenus obſcdit. Quid, tam operoſum erat reſtituere? cùm & ea emendatio in orâ Ed. Iunianæ iam annos totos quinquaginta expoſita fuerit! De re ipsâ & draucis, Lib. I. Epigr. XCVI. Lib. XI. Epigr. IX. & LXXIII. Eſt autem draucus, valens & viriatus homo, probeque mutoniatus. Pro eo, qui harpaſto luderet, (qui ludus pilæ valentiorum erat & virorum agilium, teſte etiam Ovidio III de Arte) accipitur, lib. XIV. Diſticho XLVI. & pro halterobolis, lib. VII. Epigr. LXVI. de virâ & tribade Philæni, in Gymaſijs exerceri ſolitâ:

Harpaſto quoque ſubligata ludit,
Et flaveſcit haphe, graveſq; draucis
Halteres facili rotat lacerto.

Ita ibi legendum. Sed hîc aliàs *inter iſta draucorum* legi, monuit in orâ Boulierius. Quod non reſpuendum.

EPIGR.

EPIGR. XXVIII.

Qui ſpectatorem potui feciſſe Catonem,
Solvere qui Curios Fabriciosq́ graves.

An ſcripſit *fregiſſe?*

EPIGR. XXIX.

------ maior erat menſibus illa tribus.

Fortaſsè, *meſibus*, concinnius videbitur. Sed nulli Codices patrocinantur. Itaque temerè nihil mutandum.

EPIGR. XXXI.

Quæ litat argento pro te, non ſanguine, Cæſar.

Præclarè ſic MSS. aliquot mei, & Editio princeps. Etiam Colinæi an. MD.XXXIX. Gryphiana an. MDXLVIII. & Boulieriana an. MDLIX. At verò Aldi utraque, & nuperę, vitiosè *caſa*. Mirum, tam manifeſtum mendum à doctis Criticis non animadverſum. Nos tandem emendavimus. Neque dubium eſt ita legendum, cùm ad Cæſarem ipſum ſermo dirigatur. Dirigere autem ſermonem tacito nomine ejus, ad quem ſcribitur, non ſolet Martialis. imò non moris eſt; neque convenit.

EPIGR. XXXVI.

Hanc volo, quam redimit totam denarius alter.

Denarius alter. i. duo denarij. Sic Iuvenali *Sextarius alter*, duo ſextarij. Idem lib. III. Sat. VII.

------ quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?

Gloſſæ MS. *Duo Cottæ, nepos & avunculus. Duo Lentuli*. Ita etiam loquitur Iuriſconſultus : *Alter ſemiſſis inter duos fratres dividitur*. Id eſt, duo ſemiſſes. Apud Livium, *alter & viceſimus annus*, eſt viceſimus ſecundus. Virgilius:

Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus.

Id eſt, tertius decimus. Quæ omnia exempla ſunt priſcæ Latinitatis. Eandem loquendi formam apud Manilium ſuum eruit & illuſtravit Scaliger, hoc lib. I. verſu:

Altera biſenis ut ſit pars tertia ſignis.

Altera tertia; id eſt duæ tertiæ. Vide primum Commentarium Manilianum.

EPIGR.

EPIGR. XXXV.

Verba dacis Daci chartis mandata reſignat.

Ita pridem reſtituit Gulielmius, & aſſenſum merebatur. Non aſſecutum apud Gruterum, equidem nequeo ſatis mirari. Favebant huic lectioni quatuor eius Scripti. Totidem ego adferre poſſum, aut plures: Editionem etiam principem. A quâ abeunt Aldinæ, cæteræque; in quibus *Cattis* legitur, leviſſimo errore. Pro quâ tamen lectione acriter pugnantem videſis Gruterum.

EPIGR. XXXVIII.

Et rapiant fortes vela negata Noti.

Præ reliquis hæc lectio *fortes* nobis arriſit, fide optimi MS. Aliàs *madidi*, & *celeres* legitur.

Ibidem.

Securos pueri neglecta perambulat artus.

Membranæ Cuiacianæ, *armos*.

EPIGR. XXXIX.

Hac et Sanctonici genita eſt Caſonia Ruſi.

Spuria lectio. Reſcribe, uti eſt in Editione principe, & fidelioribus alijs libris Scriptis: *Hac & ſancta mei.* Ex quo quis non videt illud *Santonici* conflatum? Alibi,

Non ille ſancta dulce Tibur uxoris.

EPIGR. XLI.

Omnia perdiderat, ſi maſturbatus uterque
Mandaſſet manibus gaudia fœda ſuis.

Ita ferè omnes & Scripti & Editi. Non damno. Sed cùm in Editione principe *faba* ſive *feba* extet, conjiciebam fuiſſe *ſæva*. Vocat autem maſturbationem *gaudia ſæva*, quòd eâ libidine hominem perderet. Nam ſubiungit:

Iſtud quod digitis Pontice perdis, homo eſt.

EPIGR.

EPIGR. XLII.

Campis dives Apollo ſic murinis.

Sic utraque Editio Aldi, Colinæi, Gryphij, Boulierij, Iunij. Eſtque hæc de multis minùs corrupta lectio. in qua, ut ſolet, *u* pro *a* ſcripſerunt librarij. Nam in Longobardicis membranis nulla prorſus differentia inter illas duas vocales; neque inter *i* & *l*; inter *r* & *ſ*. Quod notum Criticis, quibus triti Codices pluteari j. Valet ergò *murinis, marinis*. quod obſervatum diviné incomparabili Scaligero, Commentario Maniliano. Per *marinas campos* intelligit Delphinos dicatos Apollini. Nam ut verſu ſequenti,

Sic ſemper ſenibus fruare cygnis,

Cycnos Apollini ſacros memorat, ita profectò in primo verſu antecedere oportet aliud animal Apollini ſacrum. Hoc repandiroſtrum illud (ut cum Pacuvio dicam) fuiſſe nullus dubito. Nam quòd Delphinus Apollini dicatus ſit, diſertè Servius docet ad Divinum Opus Æneidos Commentario tertio. *Delphinus* (inquit) *inter ſacra Apollinis receptus. Cuius rei veſtigium eſt, quòd hodieq;* XV-*virûm cortinis Delphinus in ſummâ orâ(* ita legendum, vulgò *ſummo honore) ponitur: & pridie quàm ſacrificium faciunt, velut ſymbolum Delphinus circumfertur*; *ob hoc ſcilicet, quia* XV-*viri librorum Sibyllinorum ſunt antiſtites.* Potuitne quid clariùs dici? In veteribus Nummis XV-virûm ſacris faciundis expreſſa eſt Delphica tripus Phœbi cum ave in inferiori parte, Delphino in ſuperiori. Avem autem illam eſſe Corvum, liquet. quia Corvus Phœbi tutela. Manilius lib. I.

Et commilitio volucris Corvinus adeptus
Et ſpolia & nomen, qui geſtat in alite Phœbum.

Statius Papinius Thebaidos lib. III. Corvum digito indicat, cùm dicit:

Non

Non comes obſcurus tripodum, non fulminis ardens
Vector adeſt.

Non Corvus, non Aquila adeſt. Martialis κάτ' ἐξοχὴν *Campas marinas* vocat Delphinos Apollini ſacros: nam *Campas* veteres Latini omnia κητώδη, & ingentes piſces vocabant. De Campis pro Delphinis, deque Hippocampis, non protrita idem, quem modò nominavi, vir ſummus in invenilibus Coniectaneis ad Varronem de L.L. De caprino prȩlio Grammaticorum ſuper hoc loco, toties totiesque vexato, quid attinet multis dicere? Palatinus Gruteri, & quidam meus, & Turonenſis, quo uſus Turnebus, habent *Semurinis*: nec multum abit Editio princeps, *Semuranis*. MSS. alij, *Semyrinis*. Quibus lectionibus nihil abſurdius, nihil ineptius. Nam τὸ *ſic* neceſſariò debet hîc eſſe, ut in ſequentibus. Qui *Campos Murinos* à mure dictos & σμινθέας Apollines ſomniant, miſſos facio, ut et nugatores alios. Quorum omnium futilitatem vincit commentum de *campis Myrinis* à Myrinâ urbe. perindè ac ſi à Roma *Romum*, ab Athenis *Athenum* fecerim. De *Semurio* campo urbi Romæ vicino, mera ſunt ægrorum ſomnia. Primùm, *ſemurium* ut *pomurium*, vel *pomerium*, fictum: deinde, ſecunda in *ſemurium* producitur, ut in *muro*, unde componitur. Quare deploratiſſimum, vexatiſſimum, aquè tot medicis tentatum locum, auſpicijs magni illius Semonis priſtinæ integritati reſtituendum, eo quo conſtituimus modo, non dubitamus: *Sic murinis* vetuſtiſſimas membranas habere Domitius quoque teſtatur: quomodo eſſe in fidelioribus Edd. quàm plurimis initiò notavimus. Idem in recentioribus depravatè eſſe monuit *Semurinis*. Ignoſcant mihi doctiſſimorum hominum Manes, quòd ſeorſim ab illis ſentiam. Non ego vehementer,

Sed tu ſyllaba contumax repugnas.

EPIGR.

EPIGR. XLV.

Miles Hyperboreos modò Marcelline triones
Et Getici tuleris ſidera pigra poli.

Sunt qui hîc nodum putent, quem nullus video. Non poteſt aliter legi, quàm *tuleris*. Atq; hoc modo cohærent. *Modò tuleris*, poſtquam tuleris diu illud cœlum. poſtquam ibi aliquot annis reſederis, non debes committere, ut illinc diſcedas non adito priùs Caucaſo, quandoquidem tam propè eſt. &c.

EPIGR. XLVII.

Dic mihi, Percidi, Pannice, dogma quod eſt?

Optimè. Ineptiſſimè quidam Scripti, *dogma facit.* Niſi interpolemus timidè:

Dic, quod Percidi, Pannice, dogma? tacet.

Vulgata, conſenſu codicum firmata, proba eſt: nec mutamus.

EPIGR. XLVIII.

Ructat adhuc aprum callida Roma meum.

Tò *callida* Scaligero ſuſpectum, legitque *Gallice, Roma.* Ad Gallicum enim ſcribitur Epigramma. Iunij Scriptus, *candida.* Et reperiſſe alibi me recordor, *pallida.* Vel ita neſcio quis Criticus conjecit. Sed non eſt quod à receptâ lectione recedamus. Rectè, rectè *callida.* Horatius Sat. v. lib. I.

------ *Sed panis longè pulcherrimus, ultra*
Callidus ut ſoleat humeris portare viator.

Pſeudo-Cornutus in Perſium, Sat. v I. *Nec adeò in hac re callidus ſum, ut turdorum ſapores diſcernam. Solent enim gulæ quidam dediti tantæ ſubtilitatis habere palatum*, &c.

EPIGR. L.

Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum.

Sic utraque Aldina, Colinæana, Gryphiana, Boulieriana, & cæteræ. Editio princeps, *Langona.* & ita meliores Scripti. in alijs eſt *Lingona.* Ad vulgatam lectionem video Scaligerũ in duobus exemplaribus Editionis Iunianæ margini adleviſſe

ninumq;

ninumq́, Lagona. Sed ſcripturam optimorum Codicum examinemus. Videtur *Langon* à πλαγγῶν abiecto π euphoniæ cauſſa deductum, ut in ſexcentis alijs. λαγγῶν pro πλαγγῶν, ut SELASTICVM SACRVM CERTAMEN in Veteri Inſcriptione, pro ISELASTICVM. Vide ad Collectanea Gruteriana Indicem Grammaticum. Plinius lib. XXXIV, cap. VIII. *Lyciſcus* (fecit ex ære) *Lagonem puerum ſubdolæ ac fucatæ vernilitatis.* Quid, dicemus *Langona* in Plinio ſcribendum? Sive πλαγγῶν ſit, ſive (quod credam) pueri nomen proprium. De puero Bruti, idem Scriptor Capite eodem: *Strongylion fecit puerum, quem amando Brutus Philippenſis cognomine ſuo illuſtravit.* Meminitq́ue Noſter in Apophoretis, CLXIX lemmate, Βρῦτυ παιδίον.

Gloria tam parvi non eſt obſcura ſigilli:
Iſtius pueri Brutus amator erat.

Martialem hîc de imagunculis & minutis ſigillis æreis ſummorum artificum loqui, indubitatiſſimum eſt. Vide, an etiam id quod ſequitur. Langones Saturnalitios hac formâ fuiſſe operis dulciarii ex ſimilâ, aut ſiligine, ad inſtar eorum ſigillorum quæ ex ære fecerant nobiles ſtatuarij. Et fortaſsè huc trahendus Athenæi Νάν© ἄρτ© πλακουντώδης. Videtur *Lagunculos* ὑποκοριστικῶς extuliſſe Statius Sylvar. I. in Kalendis Decembribus:

Molles Caïoli, Lagunculiq́.

Inter cætera dona quæ Saturnalibus mittebantur. *Lagunculi*, id eſt *Langunculi.* Vt *Langones* alij *Lagones* vocaverint, extrito *n*. Similia exempla ſuppeditabit idem Index Grammaticus ad Inſcriptiones. Apud Statium veteres & impolluti Codices ita habent. Legunt quidam:

Molles caſeoli, lucunculiq́.

De *lucunculo* ex genere ſcitamentorum Afranius apud Nonium in hac voce, & Apuleius lib. X. *Lucuns* Varroni. Sed Domitij Calderini Nota inſuperhabenda

ſenda non eſt,qui in Commentario ad Sylvas Papinianas ſcribit, Sigilla intelligi Caij & Lagonis puerorum, quæ in Saturnalibus repræſentata ſint vel pane dulciario, vel aliquo alio obſonio. *Caiolus* & *Laguncului* diminutiva nomina à *Caius & Lagon*. Quæ liba puerorum iſtorum imaginibus inſignita fuiſſe quidam ex coniecturâ produnt. Ego ad ſimilitudinem icuncularum illarum minutarum panes factos crediderim.

EPIGR. LVI.

Splendophorus Libycas domini petit armiger urbes.

Et hîc,&lib.x.Epigr.LXXX.mendosè legitur pueri nomē,pro *Spendophorus*.Græcè enim Σπενδοφόρος. Ita etiam in Veteri Inſcriptione, SPENDOPHORVS.Apud Scævolam I.C.ff.De fideicommiſſ. lib. l.XLI.§.XV. *Spendophorus* liberti nomen: quo etiam loco corruptè aliàs legitur *Splendophorus*, & Alciatus non rectè *Spondophorus* emendat.

EPIGR. LXI.

Sæpè ſub hac madidi luſerunt arbore Fauni
Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas,
Dumq́; fugit ſolos nocturnum Pana per agros
Terruit & tacitam fiſtula ſera domum,
Atque oluere lares commiſſatore Lyæo,&c.

Vulgata & vetus lectio eſt; quam cur reijciamus, nulla cauſſa eſt. Palatinus Codex apud me tantæ auctoritatis nunquam erit,ut velim ſanum locum ad illius fidem depravare. Itaque pentametrum, *Sæpe ſub hac latuit*, cum heroico ſequenti unico ſpiritu continuandum.Nam hoc vult,Sæpe ruſtica Dryas latuit ſub hac Platano, dum fugit Pana. *Dumq́;*,id eſt *Dum*: Vt Horatio, *Quandoque bonus dormitat Homerus*, id eſt *quando*. Apud Dionyſium in Catone, ſive Diſtichis de moribus, *Quumq́; mo-nus aliquem*,id eſt *Quum monus*. Denique Martialis ipſe

ipſe lib.x.Epigr. XLVIII.*Iamque* pro *iam* dixit,hoc verſu:

Et pilata redit iamque ſubitq́ cohors.

Sic alij inferiores ævi Scriptores ἀρχαϊκῶς locuti. Quare hoc loco cùm quid eſſet τὸ *Dumque* non animadverterent quidam ſcioli, tranſpoſuerunt hoc pentametrum *Sæpe ſub hac* in ſedem ſequentis: ut utrique commutatio facta ſit. Quam traiectionem etiam habet optimus Codex, manifeſto errore. Quid enim clarius hoc ordine, ſi τοῦ *Dumque* notionem ſciamus? Deinde τὸ *domum*, & τὸ *lares* nónne benè continuantur? Quapropter rectè atque ordine factum exiſtimo, quod illos verſus iniquè traiectos ſuo loco repoſuerim.

Ibidem.

Crevit & effuſo lætior umbra mero.

Referunt ad umbram Platani: quòd arborum genus hoc φίλοινον ſit, vinóque rigari gaudeat & nutriri. De quo Plinius lib. XII. cap. I. Macrobius Saturnal. lib. II. cap. VIII. atque alij. Sed qui ita legunt, longè longeque abſunt à mente Martialis. Non enim de umbrâ arboris hìc ulla mentio. Quare non *lætior* legendum, ſed *latior*. Vide quid antecedit:

Atque oluere lares commiſſatore Lyæo.

Tunc ſcilicet, cùm ſaucium mero cerebrum incaluit, accedit numerus lucernis, & umbra latior fit, & omnia iuſto maiora videntur. Satis conſtat & hanc expoſitionem veram, & alteram falſam eſſe: nec Interpretes Poëtæ mentem aſſecutos, dum locum de mendo ſuſpectum non habent. Iam ante annos XV. ita emaculaveramus, cùm tandem benignitate Voſſij noſtri, Scaligeri duas Editiones Plantinianas utendas accepimus; in quorum altero exemplari ad marginem *latior* adſcripſerat. Et non parum gaviſi ſumus, coniecturæ noſtræ à tam magno viro album calculum adjici.

EPIGR

EPIGR. LXXVII.

Quod optimum ſit, quæritis, convivium?]
In quod choraules non venit.

Choraules is eſt qui ad chorum tibia canit, ut λυρῳδὸς qui ad lyram, αὐλῳδὸς qui ad tibiam. Nunquam is ſolus erat, utpote quem chorus ſeptem palliatorum comitaretur, ad quorum cantum tibiam inflabat. Huc reſpexit Martialis. Quia omnis turba turbulenta eſt, præſertim in convivio. Legendus Scaliger Animadverſionibus Euſebianis, ad Numerum MD CCCCXCV. Malim autem cum Anglicano Codice, & meis:

In quo choraules non erit.

EPIGR. LXXIIX.

Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum,
Picentine. ſequi vult puto Galla viros.

De Gallâ, ſive de eâ loqui Poëtam exiſtimo, quam ſupra ſub nomine Chloës perſtrictam meminimus: Epigr. XV.

Inſcripſit tumulo ſeptem celebrata virorum
Se FECISSE *Chloe. Quid pote ſimplicius?*

Venefica poſt occiſos ſeptem maritos, inſigni venefico Picentino nubit. De iiſdem, aut ſimilibus flagitioſis, eſt Epigr. XLIII. libri præcedentis:

Effert uxores Fabius, Chreſtilla maritos,
Funereamq; toris quaſſat uterque facem.
Victores committe Venus: quos iſte manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

EPIGR. LXXIX.

Oderat ante ducum famulos turbamq; priorum.

Ineptè antea legebamus, *turbamq; minorem*. Optimus Codex Palatinus, Anglicanus, mei duo, & poſterior Aldi Editio, *turbamq; priorem*. quomodo Gruterus edidit. Sed nondum expurgatus locus. Legendum proculdubio, *priorum*. *Famulos* & *tur-*

Ibidem.

Heſterniſq; rubens deiecta eſt herba coronis.
In his Conjectore nullo opus. Sincera lectio eſt. Et verat hic optimus Palatinus. Aliter legi non poteſt.

EPIGR. LXVII.

Accipe & hoc munus conditione malâ.
Illuſtrabo obiter in illorum gratiam, qui ſententiam horum non ſatis aſſequuntur. *Malâ conditione*, id eſt caro, immani pretio. Sic *malè conciliate* Terentio, caro empte. Contra, *benè emere.* Vt ſupra, Epigr. x. lib. VIII.

Adeo benè emit? inquis, imò non ſolvet.
Id eſt, bona conditione, vili. In Tullij ioco apud Macrobium, *Quo meliùs emptum ſciatis, tertia deducta eſt*, Saturnal. lib. II. cap. II.

EPIGR. LXXI.

Maſſyli leo fama iugi, pecoriſq; magiſter
Lanigeri, mirum, quâ coiere fide.
Hoc placet Grutero, depromptum ex theſauro Palatino. Alij Codices MSS. & Edd. omnes à prima uſque ad Iunianam, conſtanter, *qua poſuere fide.* Vt Virgilius: *Iam venti poſuêre.* Venti ponunt, cùm flare deſinunt & à violentia ceſſant; & feræ ponunt, cùm à rabie miteſcunt cicuratæ. Τὸ *coiere* legi ad oram Editionis Colinæi, error eſt. Non enim ibi, ſed in codice quodam Lutetiæ Pariſiorum excuſo illud offendi, apud Hieronymum Marneſium, an. MDLIX.

Ibidem.

Concordem ſatiat ſed rudis agna famem.
Mirum, arietem cruda agnina veſci. Manſuetis coctam aliquando objectam memini: neque averſati ſunt. Videtur itaque leo exuiſſe feritatem, & aries induiſſe. Aut *rudis agna* fortaſſe eſt tenera, ut alibi, *Et fœtum querula rudem capella.* ut intelligas hædillũ.

Ibidem.

Ibidem.

Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles?
Sequuti ſumus in hac lectione Gruterum. Nam Editio princeps, utraque Aldina, & cæteræ omnes, conſpirantibus plurimis MSS. *quid portitor Helles?* Vtrum melius, neſcio. Lucanus lib. IV. verſ. 56.

Sed poſtquam vernus calidum Titana recepit,
Sidera reſpiciens, delapſa portitor Helles.

In Appendice Virgilianâ, ſeu Veterum poetarum Catalectis:

Portitor eſt Helles, & portitor Europaï.

Et ex aliâ lectione:

Proditor eſt Helles, & proditor Europaus.

Germanicus Cæſar (Domitianus veriſimiliter) in Arato:

Nobilis hic Aries aurato vellere quondam
Qui tulit in Tauros Phryxum, qui prodidit Hellen.

Audiamus itaque hîc Gruterum, & ſequamur Optimi libri fidem, *proditor Helles*, non *portitor*. Videaturque in Lucano reſcribendum, -------- *delapſa proditor Helles.*

EPIGR. LXXII.

Qui quatis Auſoniâ verbera Graia manu.
Maſtigophorus. Alij ad pugilatus, alii ad aurigandi artem referunt.

EPIGR. LXXIII.

Præneſtina tenes decepti regna patroni;
In quibus, indignor, ſi tibi cella fuit.

Quæ vocatur *cella pauperis*. Itaque huius loci venuſtatem non aſſequeris, ſi ea ignoras quæ ſupra de pauperum cellis & hoſpitiolis modicis à nobis diſputata ſunt, ad Epigr. XLVIII. lib. III.

EPIGR.

hiſtriones pertinent ad Arenam, cujus hîc mentio, ſed ad Theatrum: quod nihil ad propoſitum argumentum.

EPIGR. LXXXIV.

Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
Neſcia nec noſtri nominis Arctos erat.

Quid! Arctos narrabat raptum aut mortuum Martialem? Ecquid hoc ad Epigrammata quæ mittit Norbano? Nihil ineptius hac lectione. Et rectè tacitum ulcus ſubeſſe monuit ſagaciſſimus Gruterus, prodente illud Optimo Palatino, & præterea ejus Codice quarto. qui pro *raptum* ſervant *mæſtus*. Ita etiam alter meorum; & quidam, *Caſar*. Sed codex ille poſtremus notæ eſt non nimiùm bonæ. Quare legam, optimum eſt, veſtigia illorum, qui habent:

----- *mæſtus* (aut, *meſtus*) *narrabat in oris*.

Sed prima depravatio fuerat *meſtum*. Quia verò ſoloeciſmus videbatur, mutatum eſt in *meſtus*. At *meſtum* veram lectionem concipiebat, ſi divulsè legatur, & ſi conſideretur mos illorum librariorum, qui *Mes* pro *Mens*, *Meſes* pro *Menſes*, *Clemes* pro *Clemens*, *Creſces* pro *Creſcens*, *Pudes* pro *Pudens*, *Inpeſa* pro *Impenſa*, *Lacrimas* pro *Lacrimans*, *Libes* pro *Libens*, *Caſtreſis* pro *Caſtrenſis*, *Coſul* pro *Conſul* (unde illud *Cos.*) & multa ejus notæ alia dicebant. de quo conſulendus Index Grammaticus Inſcriptionum. Lege igitur:

Me tibi Vindelicis mens tum narrabat in oris.

Cùm ſcriptum fuerat *mes tum*, depravatum eſt contractis duabus vocibus in unum, & factum primo *meſtum*, deinde *meſtus & moeſtus*. Hoc vult Poeta: Legenti tibi, ô Norbane, in Vindelicis Epigrammata noſtra veniebat in mentem noſtri, cùm apud te diceres,

MEVS EST ISTE POETA, MEVS.

Quantum ſordebit nunc vulgata lectio. ſi cum hac noſtrâ comparetur!

EPIGR. LXXXV.

Languidior noſtri ſi quando eſt Paullus Atili.

Placebat Lipſio, *noſter ſi quando.* tanquam ſi *de Paullo ad Atilium* ſcribat, & in Epigrammate *Atili* vocativus ſit. Falsò. Quamquā ab eâ lectione ſtent, Palatinus Gruteri, Editio princeps, & prior Aldi. Sed recedūt ab eâ Aldina poſterior, Colinęana, Gryphiana, & omnes cæteræ. Cum quibus lege *noſtri*, non *noſter.* Et maneat intacta vulgata inſcriptio, *De Paullo.* Paulus Atilij noſtri, inquit, cùm ægrotat convivas vocat. tu Paulle ægrotas, ne invites: ita cæna mea porrexit pedes, id eſt, mortua mihi eſt. *Paullus Atilij noſtri*, ut lib. VII. Epigr. XXXVIII.

Tantus es & talis noſtri Polypheme Severi.

Ibidem.

Non ſe, convivas abſtinet ille ſuos.

Ita Gruterus edidit fide Codd. Palatini & Britannici. Quibus & mei duo ſuffragantur, Editioque omnium prima. Reliquæ omnes, *convivis a. i. ſuis.* Quæ lectio nauci non eſt. Alia optima. Pro eo quod eſt, non ſe, ſed convivas ſuos abſtinet. Sic ſupra Epigr. XXXVI.

Non ego, quod poſcis, res negat ipſa tibi.

Non ego, ſed res ipſa negat tibi. Vbi minimè legendum, *Non nego.* quod viſum nuper viro docto.

EPIGR. LXXXVII.

Et dicis, Modò liberum eſſe juſſi
Naſtam; ſervulus eſt mihi paternus:

Laudo operam incomparabilis Gruteri, qui *Naſtam* hîc eruit, & jacentem aliàs locum novâ interpunctione ſic animavit atque erexit: eleganter, mehercules, & accommodatè. Auctores dabo optimū meorum Codicum, in quo ita disertè, Editionem principem, quæ non longè abit, *liberum eſſe juſſi Naſcam;*

ſcam: remque ipſam, & genium Poëtæ. Frigidè hactenus perſcriptum, etiam in utraque Aldinâ,
------ liberum eſſe iuſſi:
Zenas ſervulus eſt mihi paternus:
Pro *Zenas* in alijs Scriptis eſt *Zonas*. In Excerptis variarum lectionum, quæ amici mecum humaniſſimè communicarunt, lego etiam *Haſtam*. & *Zenas tam*. Ita ut mihi certò perſuadeam, puram putam Martialis lectionem eſſe *Naſtam*. Vnde factum, ut fecerim:
Naſtam: (ſervulus eſt mihi paternus.)
Corrumpendo elegantiſſimo huic loco fuit ignoratio priſci nominis, quod lectum mihi in Veteri Inſcriptione Romanâ:
M. TVRRANIVS. M. L. NASTA.

EPIGR. XC.

Pertundas glaciem triente nigro.
Palatini Codicis ſcriptura hæc comprobatur auctoritate Codicis Florentini, quo Richardus Thõſonius eſt uſus: cujus doctiſſimi & integerrimi (heu quondam!) viri fide hæc narro. In illo quoq; eſt, inquã, *Pertundas*, id eſt frangas. Omnes Editiones ante Gruterianam, quotquot mihi videre contingit, habent *Perfundas*. quod quomodo impugnet Gruterus, apud ipſum vide.

EPIGR. XCII.

Dat tibi ſecuros vilis tegeticula ſomnos.
Omnium Editionũ prima & primaria, quæq́; facilè antiſtet millibus alijs trecentis, in hanc optimi Codicis optimam lectionem conſpirat; exhibetque diſertè, *tegeticula:* cùm aliæ omnes præferant *lecticula*. quod ad corvos Gruterus, me pollicem apprimente. In alijs membranis meis, eſt *geſticula*. Ignoratio elegantiſſimæ vocis, & rarioris, non niſi (quod ſciam) in Varrone de R. R. lib. II. cap. XI. & lib. III. cap. VIII. itemque Columellæ lib. VIII.

cap. IX. & Auctore noſtro lectæ, pervertendo loco fuit. Mox ſub finem Epigrammatis, *Quod nec manè vomis*, cùm extet in Scriptis *villa vomis*, Iovem lapidem iurare auſim, ſcribendum: *Quod nec vina vomis*. Douſæ, & alius quidam Codex. *ſella vomis*. Quæ varietates lectionum illud *manè vomis* vitij ſuſpectum reddunt.

EPIGR. XCIII.

Nunc mihi dic, quis erit cui te, Cataliſſe, deorum. &c. Cùm in adornando Martiale eſſem, opportunè hîc me dominus Scaliger admonuit, *Calatiſsi* nomen nihili eſſe. Quare ſcripſi, *Calociſſe:* & in capite, *Ad Calociſſum*. Καλόκισσον. Vt taceam oram libri Iuniani *Calociſum* præferre, ex Veteri Anglicano. quem ſtabiliunt quidam mei. In quodã eſt, *Galaciſe*.

EPIGR. XCV.

Hexaſtichon hoc videtur diſpeſcendum in duo Epigrammata: ut prius conſtet ex diſticho; poſterius ex tetraſticho: præmiſsâ illi inſcriptione, *De Athenagora*; huic, *De eodem ad Calliſtratum*. In Editione principe diſtichon extremum, *Sed puta me*, deſideratur. Et in uno meorum Codicum totum Hexaſtichon omittitur.

EPIGR. XCVIII.

------ *Pluvia profuit grandis.*
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Sic emendatè Editio princeps, reliquis omnibus *profluit* præferentibus. Invenuſtè, & contra fidem membranarum. Cæterùm Coranus non eſt caupo, ut docti cenſent: ſed dominus fundi, ut puto, Nomentani, vicinus Poetæ: in quo fundo ſubleſta vina naſci, ſatis teſtatur ubique Martialis. quantò dilutiora tempore pluvio? Itaque ait Coranum pro vino aquam collegiſſe, quòd Autumnus pluvius fuerit.

EPIGR. XCIX.

Marcus amat noſtras Antonius, Attice, Muſas.
Rectè iudicat Gruterus Epigramma hoc duûm diſtichorum coniungendum cum ſequenti Hexaſticho. Ineptiſſimè hactenus divulſa nos continuavimus, ex ſententiâ Poëtæ, & optimarum membranarum arbitrio.

Ibidem.

Vilis eras, fateor, ſi nunc te mitteret emptor.
Iure ſummo præferenda hæc lectio vulgatæ, *mittere tento.* Quæ tam frigida eſt, vt thermas Neronianas refrigerare poſſit. Altera elegans, extatque in duobus meis Scriptis, & Palatino. Nec aliter veterrimæ Editiones, (Aldinis exceptis) Princeps, Veneta anni M D X. & eius tradux Lugdunenſis anni M D XXII. utraque cum Domitij Commentarijs: Lutetiana, cujus meminit Iunius. Cæteræ omnes Editiones, quas vidi, in morbo cubant: uti etiam plerique MSS.

Ibidem.

Multum (crede mihi) refert, à fonte bibatur
Qui fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.
Ex fide MSS. hîc legendum puto:
------- - à fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.
Multum refert, inquit, an bibatur unda quæ à fonte fluit, an quæ pigro lacu ſtupet. In nullo meorum illud *an fonte* reperi, quomodo Iunius in Veteri legi teſtatus. In omnibus Scriptis eſt, *Quæ fluit.* ubi Editi, quotquot ſunt, *Qui fluit.* In ſequentibus Aldina utraque repræſentat, *quem ſtupet*. Pariſienſis Marneſij, aut Othmari Nachtgalij, *quum ſtupet.* & ſic Boulieriana.

EPIGR. CI.

Æripidem ſilvis cervam, Stymphalidas aſtris Abſtulit.
Vtrùm *undis*, an *aſtris* hic legi debeat, Lapitharum

pugna inter Grammaticos nata. Vtra lectio ad hiſtoriam aptior, diſceptatur. Nam volantes Stymphalidas Herculem deieciſſe ab ipſis nubibus, tradit clare Seneca Tragicus. Alij verò carnivoras eas furias ad Styphalum flumen conveniſſe, memoriæ produnt: unde & nomen. Editiones omnes, quotquot antè Gruterianã publicatæ, & ad manus meas pervenerunt, habent -- *undis Abſtulit* ---. Editione principe ſolâ exceptâ, quæ de monſtris his monſtroſum aliquid præfert: nimirum *aſtris*. De quâ lectione poſtea videbimus. Scripti aliquot *undis*. Sed *aſtris* unus meorum. Atque ita habebat Codex Gulielmij, itemque Florentinus Thomſonij. Pro *aſtris* pugnat Gruterus, pro *undis* Raderus. Ego, ne nihil agam, cùm didicerim Harpyarum illarum manum tam numeroſam fuiſſe & infeſtam, ut totius regionis fructus popularentur, ex ſcripturâ principis Editionis *agris* exſculpo. non infeliciter fortaſſe. Vt ſilvas Mænalias cervâ, & agros Arcadios noxijs avibus liberarit Hercules. Sive eas ſagittis petierit, ſive æneі crotali tinnitu fugarit, dummodò abſtulerit, non magnoperè contendendum. Hæc lectio noſtra utramque hiſtoriam ſive fabulam admittit. De quâ inter alios legendi Nonnus in Donyſiacis, Pauſanias Arcadicis, Diodorus lib. V. & Strabo lib. VIII. Ovidius Senecæ concinit, & ſententiæ Gruterianæ opitulatur:

Deijcit horriſono quinto Stymphalidas arcu.

Ibidem.

Sapè recuſato Parthos duxiſſe triumphos
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.

Ita habet Editio Aldina prior, & agnoſcit in Commentario Domitius, itemque Colinæus, Gryphius, Marneſius, Boulierius, Iunius, & alij. Editio princeps, *Sapè recuſatos percus.* Veneta & Lugdunenſis,

auctæ Cõmentarijs Calderinianis, *recuſatos Parthos:* quomodo etiam Aldus in poſteriore. Quid multis? legendum cum membranis:

Sæpè recuſatos parcus duxiſſe triumphos.

Scio viros doctos priorem lectionem defendere; nempè, jam poſt inventas fruges, quibus glandes eſſe, neſcio quæ voluptas eſt. Placet illis hoc in loco rarior loquendi modus, *recuſato*, ut *comperto, cognito, audito.* φράσιν agnoſco: & ego inter legendum in multis Auctoribus notavi. Alij quoque monuerunt, & Domitius ipſe. Sed quando Domitianus recuſavit Parthos triumphos? quodnam bellum cum Parthis geſſit? Proferant minimam ſuſpicionem ex aliquo Scriptore. Eſto. Quod genus hoc loquendi? Domitianus recuſatis triumphis Parthicis, nomen Victoris retulit à Sarmatis. Saltem illi triumphi debebant eſſe de Sarmatis, non de Parthis, quandoquidem de victoriâ Sarmatarum tantùm ſermo eſt. Tantam abſurditatem membranæ optimæ detexerunt. quarum fide jam annos antè quindecim ita repoſuimus. Conſtat verò Domitianum nullam unquam expeditionem in Orientem ſuſcepiſſe. Nam quod Calderinus de Vologeſo Parthorum rege producit, frigidum eſt. Tunc enim neque Domitianus imperabat: neque hæc (ſi ſucceſſiſſet quod ambiebat Domitianus) fuiſſet expeditio, ſed legatio imperante Veſpaſiano patre. Sanè miror alios Interpretes poſt Domitium hoc quoque de Vologeſo ex Suetonij cap. II. in hunc locum protuliſſe: quo nihil alienius ab Auctoris mente. Lectio noſtra liquida eſt, nec indiget interprete, cùm apertè canat Domitianum abſtinuiſſe oblatis triumphis à Senatu, quos recuſaverit contentus nomine GERMANICI. Tranquillus in ejus Vitâ cap. VI. *Expeditiones partim ſpontè ſuſcepit, partim neceſſariò: ſpontè in Cattos; neceſſariò unam in Sarmatas, legione cum legato ſimul caſâ. In Dacos duas, primam Oppio Sabino conſulari oppreſſo: ſecundam, Cornelio Fuſco præfe-*

præfecto cohortium prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat: De Cattis Dacisq; , poſt varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modò Capitolino Iovi retulit. Quæ Martialis non uno loco celebrat. Et Statius Sylvar. lib. III. in Lachrymis Hetruſci:

Hac eſt qua victis parcentia foedera Cattis,
Quæq; ſuum Dacis donat clementia montem.
Qua modò Marcomanos poſt horrida bella, vagosq;
Sauromatas Latio non eſt dignata triumpho.

Victis enim Sarmatis triumphum recuſavit: & ſine triumphi pompâ lauream tantùm Iovi Capitolino retulit, teſte Suetonio. Idem Poeta Sylvar. lib. IV. in Conſulatu eiuſdem Germanici, clementiam eandem ſive modeſtiam commendat:

Mille trophæa feres, tantùm permitte triumphos.

Indè nata ſuſpicio Ioanni Caſperi Gevartio noſtro, legendum in hoc loco Martialis:

Sæpe recuſato partos duxiſſe triumphos.

Et ceu verum conatur aſtruere Papinianarum Lectionum lib. III. cap. X. Vbi quòd *ſecretos triumphos* ex lib. VIII. Epigr. XV. ad victoriam Sarmaticam referat, falſus eſt. Nos ſuo loco expoſuimus. *Sæpè recuſato partos* etiam hic legendum contendit Florilegus Claverius. Quæ conſpiratio tanti ſanè non eſt, ut à conceptâ ſententiâ vel minimum mihi diſcedendum putem. Cæterùm, Epigramma hoc in genere Κολακικῷ ſingulare eſt.

P. SCRI-

tori, cujus fidem exploraſſe creditus, ſeu aquarum argenteo liquore & nitore dictus videatur Rein. Imò nunquam, inquit, gelu adſtringaris: ut Romanis Germanorum per glaciem incurſus metuendus ſit: plauſtriſque hoſtiles copiæ traijciant. Nam,

Nec te barbara contumelioſi
Calcatum rota conterat bubulci.

fruſtra Interpretes referunt ad Reges Francorum. Ridiculus eſt Elias Vinetus, qui ad Moſellam Auſonij id primùm Gallis ſuis & lectoribus perſuadere conatus eſt; quaſi reſpexerit hîc Poëta morem illum, cujus Eginhartus Caroli Magni aulicus meminit, ut Francorum Rex, *quocunque iter faceret, carpento iret, quod bubus iunctis, bubulco ruſtico more agente* (al. *more gentis*) *trahebatur*. Hæc ſatis ineptè ille: nec aptius illud commentum quod ſuperadſtruit Stephanus Claverius, de Boote & plauſtro eius forſan Martialem loqui. Nugæ, nugæ. Simpliciter optat barbarum Germanum concretum Renum nunquam traijcere. Ovidius de concreto Iſtro Triſtium lib. III. Eleg. X.

Perq; novos pontes ſubter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boves.

Et ibidem Eleg. XII. ------ *nec, ut antè, per Iſtrum*
Stridula Sauromates plauſtra bubulcus agit.

Et Ponticarum Eleg. VII. lib. IV.

Ipſe vides, onerata ferox ut ducat Iazis
Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas:

Idemque alijs locis. quibus recitandis in re clarâ ſuperſedeo. Suetonius in Domitiano, cap. VI. *Bellum civile motum à L. Antonio ſuperioris Germaniæ præſide confecit abſens, felicitate mirâ: cùm ipsâ dimicationis horâ reſolutus repentè Renus tranſituras ad Antonium copias barbarorum inhibuiſſet.*

EPIGR.

P. SCRIVERII ANIMADVERSIONES IN Martialis

LIB. X.

EPIGR. II.

Pigra per hunc fugies ingrata flumina Lethes.

Emendabam, *Nigra*. quam meam conjecturam probari video MS. optimi fide. Tibullus:

— *vaſtos amnes, nigramq́; paludem.*

Ibidem.

At chartis nec furta nocent, nec ſæcula præſunt.

Ita ferè Editi: ſed in plerisque Scriptis eſt, *proſunt*. Legam itaq; cum Quarto Gruteri, & Ed. principe:

At chartis nec furta nocent, & ſæcula proſunt.

Quod dicit chartis & poematibus ſæcula prodeſſe, rectum: nam antiqui tantùm & poetæ mortui ferè in admiratione erant. Lege Epig. x. lib. v. & lib. VIII. Epigr. LXIX. Quibus locis præpoſterum vulgi morem perſtringit,

Qui redit ad Faſtos, & virtutem æſtimat annis,
Miraturq; nihil, niſi quod Libitina ſacravit.

De quo etiam ad Auguſtum queritur Horatius, Epiſt. I. lib. II.

EPIGR. V.

Erret per urbem pontis exul & clivi.

Eleganter ita ad exemplar Palatinum Gruterus.
Nec abit nimiùm Editio princeps:

Erret per urbis pontes exul & clivos.

Aldinæ,& reliquæ omnes:

Pontes per urbis erret exul & clivos.

At quomodo exul, ſi in Vrbe? Malebat *orbis* Raderus.Ego divinabam:

Pontis per urbes erret exul & clivi.

Vel veſtigijs veterrimæ Editionis inſiſtens:

Erret per urbes pontis exul & clivi.

Imprecatur maledico poëtæ, qui clam Martialis nomine verſus ſparſerat in illuſtres perſonas;non ut Romam ſolam perreptet,ſed etiam urbes alias: & quidem oſtiatim mendicando: Nedum in ponte aliquo vel clivo (ubi propter hominum ultro citroque commeantium frequentiam,mendicorum etiam ſtationes) unquam quieſcat miſer,aut ſedeat. Et roget mendicorum omnium ultimus, cùm iam erogandum nihil reſtet, præter------ *caninas panis improbi buccas.*
Canicas videlicet.De quibus Paullus Diaconus ex Feſto:*Canicæ furfures de farre, à cibo canum vocatæ.*
Pacuvius:

Qui apud te quaſi ſervos, eſt carnicenm panem.

In eundem ſycophantam & impoſtorem ſcribit Epigr.III.ad Priſcum.

EPIGR. VII.

Nympharum pater amniumq; Rene,
Quicumque Odryſias bibunt pruinas,
Sic ſemper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumelioſi
Calcatum rota conterat bubulci.

Falluntur,qui in illis *liquidis undis* originem nominis quærunt,quòd *Renus* Germanis à puritate ſeu tori,

cùm interim cucurrerunt aut ſalutaturi aliquem non reſalutaturum; aut funus ignoti hominis proſecuturi; aut ad iudicium ſæpè litigantis, aut ad ſponſalia ſæpè nubentis: & lecticam aſſectati, quibusdam locis (coenoſis puta, ad captandam benevolentiam potentiorum & procerum ſportulas) *& ipſi tulerint. deinde domum cum ſupervacuá redeuntes laſsitudine, iurant neſciſſe ſeipſos quare exierint, ubi fuerint: poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia.* Hactenus Seneca.

EPIGR. XI.

Et lotam, ut multum, terq; quaterq; togam.
Annotàbo hîc obiter ſententiam meam, quia Gruterum quærere video, & hærere. Lotam togam dicit, ut alibi:

Et lotam niveo togam Galeſo.

Quia ſæpius lana flumine lavatur. Neſcio quid obſcuri hîc ſuſpicantur docti viri. Sed τὸ *ut multum* mihi ſuſpectum. Editio princeps conſpirans cum Anglic. cod. habet, *Et lotam multum.* Sed cum vulgatâ lectione faciunt, Aldinæ geminæ, Colinæana, Gryphiana, & cæteræ. Domitius *ut multum* exponit *ad ſummum*, peculiari phraſi Martialis.

EPIGR. XII.

Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas.
Vercellæ Apollineæ, ut Toloſa Palladia; quia ut hujus Apollo, ita illius Pallas tutela eſſet. Quòd autem in illis tractibus Apollo præcipuè coleretur, auctor Statius in Soterijs Rutilij Gallici Præfecti Vrbis, Sylvar. lib. 1.

Tunc Deus, Alpini qui iuxta culmina dorſi
Signat Apollineos ſancto cognomine lucos.

Apertè dicit lucum Apollineum ibi fuiſſe, & ex hoc loco Martialis colligimus Statiũ de Vercellenſi tractu loqui. Docti viri adhuc nõ potuerũt incidere

in locum veteris ſcriptoris, qui lucem adferret Martiali. Sanè in Commentarijs in hunc Poëtam, Vercellis Apollinem cultum fuiſſe, nondum ſe legiſſe profeſſus eſt Calderinus; ſed in Commentarijs ad Sylvas Statij, quos poſtea edidit, hoc quod antè eum fugerat, tum demum advertit, & monuit, laudato Martiale. ne quid diſſimulem.

Ibidem.

Ne vivam, niſi te Domiti permitto libenter.
Mendosè ita princeps Editio, & libri omnes antiquitùs cuſi. Nec abnuunt Scripti. Et amplectitur Gruterus illud *permitto*, plurimiſque exemplis conatur firmare. Præter Notata ad Martialem, legenda ſunt quæ ad principes Hiſtoricos Salluſtium & Tacitum conſignavit. Ego dedici in MSS. *τὸ per* & *præ* ſæpiſſimè confundi. Exempla, quamquam ad manum ſint, parcam adſcribere. Docti vident mecum legendum, *præmitto*, non *permitto*. Codices imponunt. Hæc indubitata lectio eſt. Omnino, inquam, legendum *præmitto*. Sic in veteri Eccleſiâ, *præmiſi uxorem*, *præmiſi fratrem*, &c. de vitâ functis dicebant, tanquam eos ipſi ſequuturi. INSCRIPTIONES etiam huc ſpectant. Tertullianus libro Ad uxorem: *Nam quid geſtiamus liberos ferere, quos cùm habemus præmittere optamus?* Cyprianus De mortalitate. Auſonius in Parentalibus, *Præmiſſa ergo vale*, &c. ad Æmiliam Melaniam ſororem. Alij. Hic quoque Martialis *præmitto* dixit ominis cauſſa, tanquam & ipſe illum eò ſequuturus. Quàm ineptum ſit *permitto*, & *dimitto*, &, ſi Dijs placet, *permuto*, cognoſcent facilè qui noſtram emendationem cum vulgari lectione contendent. Seneca in Ludo: *Quos omnes Claudius, necubi imparatus eſſet, præmiſerat.* Ita legendum, nec audiendi MSS. qui *permiſerant* habent.

Ibidem.

Ibidem.

Et venies albis non cognoſcendus amicis.
Livebitq; tuis candida turba genis.

Optimè. Hactenus publicatum:

Libabitq; tuas candida turba genas.

Quod amplecti præ altero Raderum atque Heraldum, equidem miror. Non oportebat, inventis frugibus βαλανοφάγειν. Sed quibus libet, per me licet. *Livere* pro *invidere* non ſemel Martiali uſurpatum meminimus, & in eadem phraſi Auctorem caſtigavimus, lib. VI. Epigr. LXXXVI. Quô recurre: & adhibe Noſtrum præterea, huius libri Epigr. XXXVII.

Oſtrea Baianis quàm non liventia teſtis.

EPIGR. XIII.

Et Thetis unguento palleat uncta tuo.

Thetis hîc piſcina marina, in quâ natabant. Lib. XI. Epigr. XXII. Et lib. III. Epigr. XLIV.

In thermas fugio? ſonas ad aurem.
Piſcinam peto? non licet natare.

Vbi Domitio notatus Ciceronis locus. *Latiorem*, inquit, *piſcinam voluiſſem, ubi iactata brachia non offenderentur*. Auguſtus (teſte Suetonio in ejus Vitâ, cap. LXXXII) nervorum cauſſa marinis Albulisque calidis uſus. Nero quoque apud eundem cap. XXXI. balineas fecit marinis & Albulis fluentes aquis. Plinius Iunior Epiſt. VI. lib. V. *Si natare latius aut tepidius voles, in area piſcina eſt: in proximo puteus, ex quo poſſis rurſus abſtergi, ſi pœniteat teporis.* Vide & Epiſt. XVII. lib. II. Natationes autem ſuas unguentis perfundebant. De Caligula, idem Scriptor cap. XXXVII. *Nepotinis ſumptibus omnium prodigorum inge-*

 nia

nia ſuperavit, commentus novum balnearum uſum, portentiſſima genera ciborum atque coenarum; ut calidis frigidisq; unguentis lavaretur. &c. Heliogabalus apud Lampridium, *Non niſi unguento nobili aut croco piſcinis infectis natavit.* Item, *Momentarias de roſato & roſis piſcinas exhibuit.* Et, *condito piſcinas & ſolia temperavit, & roſato atque abſinthiato.* Denique, *Fertur in euripis vino plenis navales Circenſes exhibuiſſe, pallia deo enanthio fudiſſe.* Lege cum Scaligero, *balnia oleo oenanthino fudiſſe.* Quem locum, antè infuſam à viro Illuſtri lucem, avorum noſtrorum memoriâ non intellectum, ſatis conſtat ex Io. Bapt. Egnatij futiliſſimâ interpretatione. De piſcinis natantium, idem Lampridius in Alexandro Severo: *Vnctus lavabatur, ita ut caldarijs vel nunquam, vel rarò, piſcinâ ſemper uteretur, in eaq; unâ horâ propè maneret.*

EPIGR. XIX.

I, perfer. brevis eſt labor peracta
Altum vincere tramitem Suburra.
Illic Orphea protinus videbis.

Hunc ſecundum verſiculum, qui in pleriſque retro cuſis occupabat ſequentem locum, huc transferendum eſſe rectè obſervavit Gruterus, & margini annotavit Scaliger, in duobus codicibus ſuis, quos nunc poſſidet Voſſius noſter. Nec alio ordine, quàm ſuo, Editio poſterior Aldi, Gryphij, & Vaſcoſani. Cæteræ omnes luxatæ: Etiam princeps Editio, itemque Aldina prior, & Colinæana. Neceſſariò ita reſtituendum. Poſtquam Suburram tranſiniſerit, Clivum ſubeundum dicit.

Ibidem.

---------- Avemque Regis.
Raptum qua Phryga pertulit Tonanti.

Quòd hic locus à viris doctis non capiatur, liquet ex eorum interpretatione. De imagine accipit Calderi

derinus, in quam illud Martialis Epigramma legimus, LV. lib. V.

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem. &c.
Leocras quidem artifex aquilam fecit (teſte Plinio lib. XXXIV. cap. VIII) ſentientem quid rapiat in Ganymede, & cui ferat, parcentem unguibus etiam per veſtem. Sed nihil ad Martialem. Niſi fortè Epigr. VI. lib. I. ubi aquilæ Iovis & leonis Domitiani comparatiō inſtituitur. Aptetur iſti, ſi cui è re videtur, loco: nam hîc longè aliud requiritur. Quæ profectò nemo hactenus explicavit. In faſtigijs templorum, atque ędium etiam privatarum, aquila apponebatur. Pindarus Olympionicâ XIII.

> Τίς θεῶν ναοῖσιν οἰω-
> νῶν βασιλῆα δίδυ-
> μον ἔθηκε;
> *Quis Deorum templis avi-*
> *um regem gemi-*
> *num appoſuit?*

Inde faſtigium aut culmen tecti Græcis vocatur. ἀέτωμα. Hippocrates lib. De art. Vbi Galenus lib. III. Comment. ἀέτωμα dici ſcribit οἴκου τὸ ὑψηλότατον μέρος, καὶ τὰς εἰς ὕψος ἀνατάσεις τῆς ὀροφῆς τριγωνοειδεῖς, *ſupremam domus partem, & in altum ſublata triangulari formâ culmina.* Eadem expoſitio in Exeg. At Erotianus ἀέτωμα, τὴν στέφανην τοῦ δώματος exponit. Suidas, & ex eo Varinus, annotat ἀετώματα dici τὰ τῶν ἱερῶν στεγάσματα, ἃ πτέρυγάς τε καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν. Euſtathius ſimiliter ſcribit μέρος τι τῶν ναῶν dici ἀέτωμα & ἀετὸν, διὰ τὸ ἐοικέναι πτέρυξιν ἀετοῦ. Idem refert Scholiaſtes Ariſtophanis ἐν ὄρνισι, hoc verſu:

> Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν.

Igitur ſolorum templorum, ſacrarumque ædium faſtigia & pinnas, *alas, aquilamque*, quòd alarum aquilæ ſint ſimilia, dici, nos docent Grammatici. Sed de privatâ domo accipit ſupra laudatus ſenex Cous lib. De art. Ἀνέλκειν τὴν κλίμακα καὶ πρὸς πύργον τινὰ ὑψηλὴν, ἢ πρὸς ἀέτωμα οἴκου. *Scala ad turrim aliquam altam, aut domus faſtigium attrahenda*. Ariſtophan. Alij. Sed omniũ Grammaticorũ eruditiſſimus Heſychius ἀετὸν dici ſcribit Κυμάτιον τὸ ἐν τοῖς γείσοις. *cumatium*, aut *prominentiam ſuggrundarum & imbricum*. fortè, quia ea aquilæ volantis formam præ ſe ferat. Vt ut eſt, ἀετὸς pro faſtigio aut tecti culmine apud Græcos plurimùm uſurpatur. Pauſanias non uno loco in Græciâ ſuâ. Lib. v, qui eſt Eliacorum prior, & Phocicis, lib. x. Sed Corinthiacis, lib. II. inſignis eius locus, ubi de more Sicyoniorum agit ſepeliendi & condendi defunctos. Latinis etiam in uſu hac notione *aquila*, ſed rarò. Tacitus Hiſtoriar. III. in confragatione Capitolij ſub Veſpaſiano: *Inde lapſus ignis in porticus appoſitas ædibus. mox ſuſtinentes faſtigium aquilæ vetere ligno traxerunt flammam, aluerúntque*. Ait igitur Martialis, Primùm incides in ſplendidas ædes Plinij Secundi, in quarum faſtigio aquila impoſita: & in ipſo faſtigio expreſſus Orpheus in ſilvis inter feras. Ibi quoque vicinæ ſunt ædes Pedonis, ſed minores. ideo minori faſtigio, & conſequenter minor aquila impoſita.

Illic parva tui domus Pedonis
Calata eſt aquila minore pennâ.

Quòd minorem domum Pedonis innuat, fortaſſis nonnemini videbitur *Celata* non *Calata* ſcribendũ; quando parva domus minùs conſpicua ſit, & magnarum ædium propinquitate ac ſplendore obſcuretur. Fruſtra. Plinium audiamus lib. xxxv. cap. XII. *Dibutades Sicyonius figulus plaſtes, primus perſonas tegularum extremis imbricibus impoſuit; quæ inter initia*

tia protypa vocavit: poſtea idem ectypa fecit. Hinc & faſtigia templorum orta: propter hunc plaſtice appellata. &c. *Item ſigna ex faſtigijs diſperſa.* Ibidem: *Fictiles in faſtigio templi Iovis Capitolini quadriga, opus Turiani à Fregellis ſub Tarquinio Priſco Romam acciti.* Et quod huc unicè facit: *Faſtigia quidem templorum etiam in Vrbe crebra, & municipijs,* MIRA CAELATVRA, *& arte aviq; firmitate certiora auro, certè innocentiora.*

Ibidem.

Illic Orphea protinus videbis
Vdi vertice lubricum theatri, &c.

Expreſſum ab artifice theatrum, in quo ſilvæ, Orpheus, feræ: ipſe quoque Orpheus lapſabundus propter ſparſionem croci, quæ fiebat in theatro. Quod enim ſparſio lubricationem faceret, teſtis ipſe lib. IX. Epigr. XXXVIII.

Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo.

Hoc igitur artifex mirâ cælaturâ ad vivum expreſſerat. Hæc omnia longè aliter Interpretes accipiũt. Quorum error etiam non diſſimulandus, cùm hunc Pedonem illum eſſe volunt cujus Iuvenalis meminit Sat. VII:

Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic eſt.

Imò non Cauſſidicum, ſed Albinovanum, poetam nobilem Auguſti ævo, intelligit. quem laudat non ſemel alibi, & Epigrammatarium celebrat Noſter: Præfat. lib. I. Epigr. LXXVII, lib. II. item Epigr. V, lib. V. Hunc Fabius recenſet inter Poetas Heroicos, & Seneca Rhetor, Philoſophi pater, Suaſoria prima inquit, *Nemo potuit tanto ſpiritu dicere, quanto Pedo, qui navigante Germanico dixit:*

IAMPRIDEM POST TERGA DIEM SOLEMQ.
RELICTVM &c.

Idem de eodem Controverſiarum lib. II. & Naſo ejus amicus Elegiarum è Ponto lib. IV. Eleg. X. & XVI. Vide & L. Senecam Epiſt. CXXII. Hunc, inquam loquitur hîc Martialis, cũ Thaliam alloquitur. cui deæ nihil commune cum cauſſidicis, quorum Minerva potius tutela.

Hujus autem Carminis meminit ipſe Plinius, Epiſtolâ lib. III. ultimâ. *Alloquitur*, inquit, *Muſam : mandat, ut domum meam in Eſquiliis quarat, adeat reverenter.*

EPIGR. XX.

In quocunque loco Roma duobus erit.

Sæpiſſimè Martialis *duo* pro *ambobus* poſuit. Livius quoque dixit *duo Conſules*, hoc eſt *ambo*. Sola omnia linguarum Latina infelix, quæ careat articulis. Non poteſt dici, quanti momenti ſit is defectus.

EPIGR. XXI.

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuvat?

Iulius Modeſtus Grammaticus, C. Iul. Hygini libertus; cujus ſecũdum *Quæſtionum confuſarum* Gellius, & *De feriis* Macrobius bis terve citat. Et in Grammaticis aliquoties à Soſipatro laudatur; ex quo diſcimus illius auctoritate non ſemel uſum Plinium Secundum in libris *De dubio ſermone*, ævi iniuriâ deperditis. Iunio Philargyrio in Gloſſis Virgilianis Aufidius Modeſtus citatur, Interpres, ut apparet, Maronis. Vide in II & III Georgicorum. Clarani mentionem facit Auſonius Epiſt. ad Vrſulum Grammaticum, & eo prior Seneca Epiſt. LXVI. ubi condiſcipulum ſuum vocat. Sed ambigas iure, an idem ſit. Certius, quod nuper apud Servium Virgilii Interpretem obſervabam, videri aliquid Notarum in Poetam illum ab eo relictum. Æneidos lib. XI.

Eſt antiquus ager Tuſco mihi proximus amni.

Ad quæ ſic commentatur Servius: *Hoc loco Donatus erravit, dicens agrum quem Latinus donare ſe diſponit, eſſe in Campaniâ iuxta Vfentem fluvium. quod etiam Claranus ait.* Ita enim legendum hoc nomen ibidem ſentio. Vulgo eſt, *Clanarius*.

Ibidem.

Ibidem.

Iudicete, major Cinna Marone fuit.
Quidam, *melior Cinna.* & ſic Iunius Philargyrius (ſive *Pilargyrus*, quomodo in Vet. Inſcript.) adducit. quem vide in Eclogam IX. Virgilij.

EPIGR. XXIII.

Nulla recordanti lux eſt ingrata, gravisq́;
Nulla fuit, cujus non meminiſſe velit.
Cum Anglicano cenſeam legendum, *Nulla ſubit.* Quod etiam arridebat Grutero. Ita repone.

EPIGR. XXIV.

Annos addite bis, precor, novenos.
Ita tres mei Scripti, reliqui cum vulgg. *ter*, non *bis*, habent. Editio princeps etiam illud *bis* agnoſcit. Celebrat Poëta natalem ſuum quinquageſimum ſeptimum, poſtulatque ad eum addi octodecim annos. Nimirum LXXV. diſcedere ex vitâ cupit.

Ibidem.

Sed vitæ tribus areis peractis.
Hanc lectionem disertè præferunt Editio Aldi poſterior, Gryphij, Vaſcoſani: Boulierius & Marnefius in orâ. Pleræque aliæ, mendosè *aureis*. Quæ pro noſtrâ lectione faciunt, affatim & utiliter annotavit ad Manilium ſuum Scaliger. Area in Circo ſpatium curriculi. Viginti quinque miſſuum eſt unius dici area. ideo μονημέριον Græcis: quanquam & de omni alio ſpectaculo dicitur. Ab hoc igitur *area* dictus eſt curſus vitæ humanæ. ut alibi,
Per varias artes, omnis quibus area ſervit.
Et viginti quinque anni, una area. ſeptuaginta quinque, tres areæ. Plura in Manilianis dixit vir Illuſtris. Sed huc eximius Servij locus paullo integriùs producendus eſt. Scribit ille ad verſum hunc III Georgicorum, 18.

CENTVM QVADRIIVGOS AGITABO AD FLVMINA CVRRVS.

Id eſt, unius diei exhibebo Circenſes: quia, ut Varro dicit in libris De gente populi Romani, olim XXV *miſſus fiebant, ſed vigeſimus quintus dicebatur* ÆRARIVS, *eo quòd de collatione populi exhibebatur. qui deſijt eſſe, poſtquam conferenda pecuniæ eſt conſuetudo ſublata. Vnde hodieq; permanſit, ut ultimus miſſus appelletur* ÆRARIVS. Vbi vides exhibitionem unius diei, id eſt μονημερίς, eſſe xxv miſſuum, id eſſe quod Martialis *aream* vocat. Claudianus de ludis Circenſibus exhibitis in VI ConS. Honorij:

Hic & belligeros exercuit area luſus.

Arnobius etiam lib. VII. *Circi aream* dixit, pro ipſo Circi ſpatio. Martialis omnino vitæ curriculum aream vocat. Optat, inquam, vivere LXXV annos: id eſt, tres areas. Nam una area vitæ humanæ, annorum eſt xxv. Amplectimur itaque lectionem, quam librorum melior pars retinet, *bis precor novenos.* Quòd ſi alios Codices ſequi velis, *ter precor novenos,* ut poſtulet ſibi ad quinquageſimum annum ineuntem addi annos XXVII, & octageſimo quarto vitam finire velit, erit area annorum XXVIII. Cujus rationem pete ex Manilianis, in ſecundum Iſagogicum, ſub finem. Nam quòd *aureis* docti viri legunt, quia aureus Romanus æſtimaretur XXVIII denarijs argenteis; aut (ut alijs placet) drachmis XXV, nullũ locum hic habere poteſt. ubi veritas opponitur. Futiliſſimum denique, tres aureos pro militari ſtipendio poſitos, de quibus Suetonius cap. XXVI. Cæs. quaſi ſtipendia vitæ peracturus Poëta. Nec locus eſt etiam interpretationi illorum, qui quidem *areu* legunt, ſed tres vitæ areas intelligunt, iuventam, virilitatem, & ſenectutem. De numero quoque aureo (apud Domitium) deq; anno LXXXI, & Platonis ætate, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Demiror neminem ſomniaſſe de *tribus* illis, quorum alibi Servius meminit, & *humana vita continetur: Naturâ, cui ultra centum &*

tum & viginti ſolſtitiales conceſſum non eſt: Fato, cui nonaginta anni, hoc eſt tres Saturni curſus extium creant: niſi fortè aliarum ſtellarum benignitas etiam tertium eius ſuperet curſum: Fortunâ, id eſt caſu, qui ad omnia pertinet quæ extrinſecus ſunt: ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena. Concurrite omnes augures, aruſpices, atque hinc aliquod commentum exſculpite, nugis illis non abſimile. Laus publica eſt. Et quando ingenio vela laxatis, videte etiam atque etiam, num Senecæ locus huc quadret. *In tria,* inquit, *tempora vita dividitur, Quod eſt, Quod fuit, & Quod futurum eſt. Ex his quod agimus, breve eſt; quod acturi ſumus, dubium; quod egimus, certum. hoc eſt enim in quod ius fortuna perdidit, quod in nullius arbitrium reduci poteſt;* &c. De brevitate vitæ. Sed ineptiarum plus ſatis.

Ibidem.

Poſt hæc tempora nec diem rogabo.

Proba lectio. Nihil mutandum. Vitioſi hîc ſunt Scripti codices.

EPIGR. XXX.

O ianitores, villiciq; felices.

Sic Scripti omnes, quos conſului. Sic Editio etiam princeps. Reliquæ omnes, *O vinitores.*

EPIGR. XXXII.

Pulchrior in terris nulla tabella foret.

Epitaphium Flaviæ Dionyſiadis in tabulâ marmoreâ Romæ:

Doctior in terris nulla puella foret.

Quod Epigramma antiquum ad Martialem auctorem referre non dubitabat magnus Scaliger. Quid nos ſentiremus, alibi declaravimus.

EPIGR. XXXIV.

Dignus es, ut poſſis totum ſervare clientem,
Vt liceat tantùm vera probare potes.

Neminem puto eſſe, qui Epigramma hoc ad Trajanum intelligat. Et tamen ſi primo & extremo verbo pentametri excluſo, reliqua parentheſi incluſeris, omnes tenebræ diſcutientur:

Vt (liceat tantùm vera probare) potes.

Mens. Dignus es, ut poſſis ſervare totum clientem, ut quidem potes, modò liceat patrono vera probare adverſus libertum. Quid reſtituerit patronis in libertos Optimus Princeps, ſciremus, ſi, quid illis ademerat Domitianus, nobis conſtaret. Palpabundi coniicimus licuiſſe libertis patronos Majeſtatis deferre, & partem ex bonis eorum lege Domitiani capere: Traianum priſtinum jus reſtituiſſe, modò innocentiam ſuam probare poſſint. Tale quid videtur fuiſſe. quod verius hariolamur, quàm affirmamus. Numquid etiam videtur, reclamantibus licet Membranis, & Editis, *Et* pro *Vt* ſcribendum?

Dignus es, ut poſſis totum ſervare clientem:
Et (liceat tantùm vera probare) potes.

Quæ Domitius huc adfert, inepta ſunt. Veri prodit ſimiliora Raderus. De torto patrono, quomodo legebat atque exponebat olim in Catalectis ad Moretum Scaliger, verè tortum. Vti etiam videbatur nupero illi doctiſſimo Commentatori. quem vide.

EPIGR. XXXV.

Cuius carmina qui benè æſtimârit,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.
Tales Ægeriæ iocos fuiſſe, &c.

Ita omnes à primâ Editione ad noſtra uſque tempora. Scripti duo:

Nullam

Nullam dixerit eſſe nequiorem.

Et ſic invenit in ſuis Domitius. Qui *nequiorem* interpretatur *ſtudioſiorem luſuum & iocorum inter conjuges.* Palatinus auctior hîc eſt uno verſu, quem nos fide Gruteri expreſſimus:

Nullam dixerit eſſe nequiorem,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem

Qui extat etiam in Florentino Codice.

Ibidem.

Hac condiſcipulâ, vel hac magiſtrâ,
Eſſes doctior, & pudica Sappho.
Sed tecum pariter ſimulq; viſam
Durus Sulpitiam Phaon amaret.

Non intelligi hæc à viris doctis meridiano Sole clariora, medius fidius miror. O Sappho, inquit, doctior ſine dubio & pudicior, ſi contubernio & diſciplinâ Sulpitiæ fuiſſes uſa: Sed ſi tecum illam cerneret durus tuus Phaon, qui vix unquam induci potuit amare ullam mulierem, Sulpitiam potiùs amaret, quàm te. MSS. mei tres, *Eſſet doctior.* quomodo quartus Gruteri habebat.

EPIGR. XXXVI.

Per freta, per longas toxica ſæva vias.

MSS. aliquot, *toxica vina.*

EPIGR. XXXVII.

Venator captâ marte ſuperbus adeſt.

Sic utraque Editio Aldina, Colinæana, Gryphiana. *Matre,* Editio princeps, & aliæ. Quomodo & Membranæ pleræque. Liber unus, *meate.* Alius, *male.* Vnde promptum & proclive eſt facere, *mele.* Hujus loci, & de *marte* ex muſtellarum ſylveſtrium genere, quod nomen hodie omnibus Europæis commune, meminerunt in Hiſtoriâ Quadru-

Quadrupedum Geſnerus, Scaliger pater de ſubtilitatibus Cardani Exercitat. ccx, diſtinct. 2. Edoardus VVottonus De different. Animal. lib. v. cap. LXXXVI. Sed cùm hæc vox recentior & novitia ſit, nec alibi apud idoneum vetuſtum ſcriptorem reperiatur, inclino in alteram lectionem *mele.* cujus beſtiæ Gratius *(Lucifuga melis)* Plinius & Varro meminerunt. Hic tertio Rerum Ruſticarum admonet *ſepta leporarij ex macerijs tectorio oportere eſſe ſepta, ne meles, aut feles, aliave quæ beſtia intrare poſſit.* Meles animal mordax, aſperum, & pernicioſum, leporibus plurimum inſidiatur. *Taxus* ſive *Daſſus* vulgò appellatur. Nec levi negotio capitur. Ioſephus Scaliger, magni patris magna proles, Taxum epigrammate celebrat operibus triduo oppugnatum, in Sylvâ Carminum, num. XXII. Hinc, quòd difficulter caperetur, apud Martialem Et legendum præterea, *namque ut tua ſæcula noris.*

Venator captâ mele ſuperbus adeſt.

Ita repone, eiectâ *marte.* quæ triumphantis habitu iam ſæcula aliquot alienum locum occupavit. Ex Veteribus ſolus (quod ſciam) Martialis, vel potiùs librarius ejus hoc nomine *martis* uſus eſt. Melis autem ſive Taxi effigiem qui videre volet, atque hæc minuta perſequi, conſulat diligentiſſimum Geſnerum, in Paralipomenis Hiſtor. Quadrup.

EPIGR. XXXIX.

-------------- namque ut tua ſæcula narrant,
Ficta Prometheo diceris eſſe luto.

Malim membranarum plurium & meliorum fide:

-------------- namque ut tua ſæcula narres,

Alij Scripti: *nam qui t. ſ. narrant.* Malè. Sed nonne hujus Epigrammatis verſus ſecundus concinniùs ita interpungetur:

Mentiris. natalis, Leſbia, rege Numâ?

EPIGR.

EPIGR. XLI.

Diſcidium non eſt hoc, Proculeia: lucrum eſt.
Ita planè omnes mei Scripti. Sicque ſcribendum, rectè monuerunt viri docti. Necaliter Editio princeps, et Aldina prior. Poſterior (quod mireris) mutavit in *Diſsidium*. & ſic ferè omnes pòſt excuſæ.

EPIGR. XLIIX.

Et pilata redit iamque ſubitâ cohors.
Primam in *pilata* heic corripi docuit ad Tibullum Scaliger, & nos Schedio quodam admonuit (vide ad Epigr. xv, lib. VIII.) Itaque legendum illo auctore, *Atque pilata.* Sic ſupra, *Et litant*, pro *Atque litant*. Intellige *pilata, depilata*, (Sic Epigr. LVI. lib. VI.

Teq; pilare tuas teſtificare nates.
Et lib. XII. Epigr. XXXII.

Summœniana quâ pilantur uxores.)
Nam calvi Iſidis pice depilabantur. Magnam lucem huic Epigrammati facit vir Illuſtris quem modò nominabam. Pila geſtaſſe Gallos magnæ Matris, ridiculũ. Sed cũ illud *Et pilata* omnes libri, quà Editi, quà Scripti adſtruant, diſputavi aliquando mecum, num *pilata* accipiendum eſſet pro denſâ. Quemadmodum Grammatici quidam veteres Virgilianum illud Æneid. XII. ceperunt:

Procedit legio Auſonidum, pilataq; plenis
Agmina ſe fundunt portis. -----

Vbi Servius, non ille pervulgatiſſimus, ſed curâ V. C. Petri Danielis luculentior longè atque auctior: *Quidam hoc loco pilata agmina non à genere haſtarum poſitum adſerunt: ſed pilata, denſa, ſpiſſa. ut implere portas potuerint, & poſtea ſe in loca apertiora diffundere. Alij pilatum agmen dicunt quod in longitudine directum eſt, quale ſolet eſſe cùm portis procedit. Vel certè pilata, fixa & ſtabilia, vel à pilo quod figit, vel à pilâ*

ſtructili

vel à pilâ ſtructili quæ fixa eſt & manet. Nam & Græci res denſas & artas πιλωτὰ dicunt. Quibus præſtantiſſimorum Scriptorum veterum teſtimonia & fragmenta mox ſubijcit. Ennij Saturarum II.

----- Contemplor

Inde loci liquidas pilataſq; ætheris oras.

Cùm firmas & ſtabiles, inquit, ſignificaret, & quaſi pilis fultas. Scaurus de vita ſua: *In agrum hoſtium veni, pilatim exercitum duxi,* id eſt ſtrictim & densè. Et ſic Aſſellio, ibidem. Vide. & nota præterea Hoſtij ex primo Belli Hiſtrici verſum, & Varronis pulcherrimum fragmentum ex libris Rerum humanarum. Habes non longè à principio Commentariorum in XII.

Ibidem.

In quibus eſt lactuca ſedens, & tonſile porrum.

Ita Gruterus, cùm antea eſſet *ſectile porrum.* Neſcio an præferre debeã *tonſile porrum*, quod in optimo Palat. Britan. & meis plus vice ſimplici. Ego fateor me ignorare, quid ſit tonſile porrum, tam profectò, quàm *tonſilia ſerta*, quod ſupra ex eodem Palatino & Modiano producitur. Lib. VI. Epigr. LXXX.

Tonſilibus ſertis omne rubebat humus.

Vbi meliores Codices, *Sutilibus.* Scio Epigr. LIII. lib. XI. legi, ----- *porris fila reſecta ſuis.* non ideo tamen porra tonſilia dixerim. Ita enim omnia porra eſſent ſectilia. Atqui hîc non videtur de quovis porro agi, ſed de ſpecie quadam.

Ibidem.

Secta coronabunt rutatos ova lacertos.

Variant libri. quidam *rotatos*, quidam *roratos*, repræſentant. quod ultimum Scaligero etiam in orâ annotatum: & memini cùm me moneret, ita omninò

omnino reponendum. Addens, hodieque Aquitanos ſuos coquere piſces in craticulâ oleo rorantes. Sed vulgatam ſcripturam, præterquam quòd eam meliores membranæ afferant, defendit alter locus, lib. XI. Epigr. LIII.

Mox vetus, & tenui maior cordylla lacerto,
Sed quam cum ruta frondibus ova tegant.

Non ego virum magnum, Martialis ipſe refutat.

Ibidem.

Parvus onyx unâ ponetur cœnula menſâ
Hoedus, inhumani raptus ab ore lupi.

Nauci eſt hæc vulgaris lectio, etſi ita veterrimæ Editiones; Princeps, Calderiniana, Aldina prior, Colinæana, Marneſiana. MSS. *Parvus in hu*, & ſic Aldi poſterior, Gryphij, Vaſcoſani, Boulierij. Sed in optimo Palatino ſcriptum eſt, *Gaſtus in hu.* unde Gruterus fecit, *Caſtus in hu una p.. c. m.* Sed longè aliud latet. Hæc profectò lectio mihi præit ad belliſſimam emendationem, & quam non dubitem eſſe veram. Lego:

Guſtus in hu: unâ ponetur cœnula menſâ. &c.

Monuimus ſuprà, in Membranis charactere Longobardico exaratis inter duas illas vocales *a* & *u* nullum prorſus diſcrimen eſſe. Cùm legeretur lib. IX. Epigr. XLIII.

Campis dives Apollo ſic murinis.

Oſtendimus librarij errorem, & ſcribendum, *ſic marinis.* Contra, *Gaſtus* hîc valet *Guſtus.* Quæ quidem correctio indubitata eſt, & quantivis pretij; ut ſine quâ vix eſt quòd ſani coloris quicquam hinc elicias. Ita miſerè lancinatus & perturbatus locus eſt, Palatini ope nunc primùm, meaque induſtriâ in integrum reſtitutus, & ab interitu viriliter vindicatus. Quid multis? Verũ me conjeciſſe, dicet Martialis ipſe; nõ enim exotica aut longè petita exempla, ad teſtimonium producam. His lectis, ſi non ſtatim ſenatus Muſicus in ſententiam meam manibus pedibusque conceſſerit, cauſſam non dico quin ego

ſine ullâ diſſimulatione piſtrino tradat atque aſino. Ecce, lib. XI. Epigr. XXXII.

Guſtu protinus has edes in ipſo.
Has primâ feret, alterâve cœna,
Has cœnâ tibi tertia reponet,
Hinc ſeras epidipnidas parabit.

Eodem libro inferiùs Iulium Cerealem ad eandem propemodum guſtationem, epulasque, ex quibus hîc inſtruit convivium, invitat, & apparatum deſcribit:

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Vtilis, & porris fila reſecta ſuis.
Mox vetus, & tenui maior cordylla lacerto;
Sed quam cum ruta frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui verſata favilla;
Et Velabrenſi maſſa coacta foco.
Et qua Picenum ſenſerunt frigus oliva.
Hac ſatis in guſtu. catera noſſe cupis?
Mentiar, ut venias: piſces, conchylia, ſumen,
Et cortis ſaturas atque paludis aves. Epigr. LIII.

Hîc, ſimiliter amicis tanquam in indice epulas, ad quas vocabantur, proponit:

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias quas habet hortus opes:
In quibus eſt lactuca ſedens, & ſectile porrum.
Nec deeſt ructatrix mentha, nec herba ſalax,
Secta coronabunt rutatos ova lacertos:
Et madidum thynni de ſale ſumen erit.
Guſtus in his. unâ ponetur cœnula menſâ
Hoedus inhumani raptus ab ore lupi. &c.

Nec Turanium lib. V. Epigr. LXXVIII. aliter excipit. Ad quem ita ſcribit:

Si triſti domicœnio laboras,
Turani, potes eſurire mecum:
Non deerunt tibi, ſi voles προπίνειν,
Viles Cappadoca, graveſq́; porri:
Diviſis cybium latebit ovu. &c.
Menſa munera ſi voles ſecunda:

Mar-

Marcentes tibi porrigentur uvæ.&c.
Poſt hæc omnia fortè ſi movebit
Bacchus, quam ſolet, eſuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ
Piceni modò quas tulêre rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.
Parva eſt cœnula. quis poteſt negare?

Quo in loco προπίνειν, eſt ante-cænare (ut ita dicam) & prægustare, guſtationemque ante cænam ſumere: De quo memini me ſuo loco lectorem commonefacere. Neque enim cum cane Alexandrino, Domitium impudentiſſimè allatrante, legendum:

Non deerunt tibi ſeſsiles propinqua.

Quæ lectio mehercules ferri non poteſt. Nec etiam Interpretes, qui eam propugnant. Nihil porrò inſulſius poteſt excogitari, quàm quod ex Stuckij Convivalibus profertur, *ſeſsiles caprina*. Diximus meliores libros habere, *ſi ſoles propinin*. id eſt, προπίνειν. Cujus vocis ignoratione prognata non una depravatio. In plurimis MSS. eſt, *propinqui*. & ſic Editio princeps. Cæteræ pleræque omnes emendatè προπίνειν. Calderinianæ, vtraq; Aldina, Colinæi, Gryphij, Vaſcoſani, Boulierij, Marneſij, & aliæ.

Hæc omnia ſatis evincunt, rectè apud Martialem nos *Guſtus* pro *Gaſtus Caſtusvé* legere. Feliciter, inquam, & verè correximus. Atque ita D. E. K. C.

Vt contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat.

Ibidem.

Hoedus inhumani raptus ab ore lupi.

Hoedus lupi faucibus ereptus lautis & guloſis gratior erat, & melior habebatur ob teneritudinem. Plutarchus Sympoſ. lib. I. Quæſt. IX. Vnde eius rei rationem petas licebit. Horatius Epod. Carm. II.

Vel agna feſtis caſa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

Ibidem.

De Traſino conviva meus Venetoq; loquatur.
Mira eſt optimi Codicis ſcriptura:
De Praſino ſcutoq; meus conviva loquatur.
Si ſcutum eſſet parma, benè conveniret de parmâ pueri Agathini. de quo Epigr. XXXVIII. lib. IX.
Summa licet velox Agathine pericula ludas,
Non tamen efficies ut tibi parma cadat. &c.
Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli
Non potes. arte opus eſt, ut tibi parma cadat.
Et ibidem Epigr. LXVIII.
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
Vincenti parma cùm ſua turba favet.
Denique in Apophoretis circa finem, ſub lemmate PARMA:
Hac qua ſæpè ſolet vinci, qua vincere raro,
Parma tibi: ſcutum pumilionis erit.
Sed nulla metri neceſſitas cogit Poëtam abuti ſcuto pro parmâ. Ergo potius ſubeſt mendum, & Aurigæ aut Gladiatoris nomen ſub *ſcuto* latet. Non de nihilo ea diſcrepantia extat in illis Membranis. In alijs duobus Scriptis ad hunc modum conceptum clarè his oculis legi:
De praſino conviva meus ſcipioque loquatur.
Et hæc lectio neſcio quid monſtri alat. Nomen proprium omninò credam deſiderari. Quod divinandum alijs relinquo.

EPIGR. LII.

Quos, Fauſtine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abſtulit? ô ſoles! ô tunicata quies!
Ravenna hoc loco non Italię nobilis urbs, (in Boijs, Plinio auctore; Vet. Inſcript. PICENI CAPVT;) ſed Fauſtini villa in agro Tarracinenſi. Domitius argumentum Carminis putat, Fauſtinum à Martiale accuſari, quod accepto magiſtratu ab Imperatore præſit Ravennatibus, nec fruatur amœniſſimo receſſu ſuo Tarracinenſi. Imò Romæ detinebatur Fauſtinus negotioſâ in urbe, ab otio & tranquillitate

tate villæ ſuæ diviſus atque excluſus. Hoc queritur Poeta. Supra Epigr. LVII. lib. IV.

Ergo ſacri fontes & littora grata valete,
Nympharum pariter Nereidumq; domus.

Et infra Epigr. LVIII. hoc libro, villam quam intelligit per *littoream domum*, ea eſt hæc Ravenna. Niſi fortè hoc nomen corruptum ſit: & ignobili villæ librarius notum opidi nomen indiderit. Quod ego in medium relinquo. Villam hanc Fauſtinianā ab ubertate aureâ & rerum copiâ laudat divino Scazonte lib. III. Epigr. LVIII, ad Baſſum; cujus contra villam ſterilem & rerum omnium egenam vituperat; ridetque eandem ſupra Epigr. XLVIII. Sita erat hæc Baſſi villa ſub Vrbe extra portam Capenam. Prædicat & alias. huius Fauſtini delicias Tibure. Regredere ad lib. IV. Epigr. LVII. & lib. V. Epigr. LXXI. Ad quas etiā alludit Lib. VII. Epigr. LXXX. Poſſidebat has vigeſimo ab Vrbe lapide, ſive XX. M. P. ut habet Itinerariū Antonini, & verum eſt.

Quod ex lib. IV. Epigr. LVII. ita locum producimus, *Ergo ſacri fontes, & littora grata,* ſcito nos ſequutos emendationem incomparabilis Gruteri, & MSS. noſtros. Adoleſcentes Hiſpanos, qui impugnant, & vulgatam lectionem *littora ſacra* tuentur, non moramur. Littora grata dicit amœna Baiarum & villam nunquam ſatis laudatam Fauſtini. Sacros autem hic fontes dicit, non ſolùm quòd fluviis & fontibus divinitatem neſcio quam aſſignaverit Antiquitas: (de quo eruditiſſimus Heraldus hoc loco, & Ramirezius ad Epigr. III. lib. III:) Sed, meâ opinione, quia ibi Iupiter Anxurus, ut puer imberbis, quaſi ἄνευ ξυροῦ, vt veteribus placet, colebatur, cujus malas novacula nunquam attigiſſet. Cujus præter alios Servius meminit ad VIII. Divini operis, ipſo fine: & Horatij vetus Interpres, Sat. v. li. I.

Ibidem.

---- *nec illic Sunt triplices thermæ* ----

Non intelligit triplici ſerie ædificatas thermas; aut

etiā triplices cellas, caldarias, tepidarias, frigidarias, quod Interpretibus viſum: ſed Thermas Agrippæ, Neronis, & Titi. Quarū alibi meminit. Hîc operoſiſſima quæque opera Romana recenſet. Iam Thermas has ſtupendæ magnitudinis fuiſſe, ruinæ hodieque teſtari poſſint. Nam certantibus luxu & faſtu Principibus, coepêre lavacra in modum provinciarum, ut ait Ammianus, exſtrui.

EPIGR. LVI.

Triſtia ſervorum ſtigmata delet Eros.

In alijs eſt, *ſaxorum ſtigmata:* & *Heros.* Scripſi (faventibus membranis) *Eros*, uti alibi rectè nomen hoc concipitur in editis Martialis exemplaribus, & antiquis Monumentis pluries. Ἔρως non Ἥρως. Quod obſervatum etiam doctiſſimo Radero. In veteri Inſcriptione:

P. DECIMVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS. &c.

Quæ ad Epigr. LXXVIII. lib. VI. produximus. Ejuſdem libri Epigrammate LXIV legimus:

Stigmata nec vafrâ delebit Cinnamus arte.

Fortè eo loco *Cinnamus* idem qui hîc *Eros*. Lapis Mediolanenſis:

V. F.
M. SVLPICIVS. M. F. ACCEPTVS
SIBI. ET. M. SVLPICIO. CASTO
PATRONO. EROTI CINAMO
CONLIBERTIS. PATRONI. ET
C. LVCILIO. FLORO. AMICO.

Ex Apiano (ſive Cyriaco Anconitano potiùs) & ſchedis Alciatinis Gruterus pag. DCCCCLV, 2. Doctam manum, *Heros* hîc reſcribentem, ſufflaminandam atque inhibendam cenſeo. Vide me Animadverſionum lib. VI. ad Epigr. LXXVIII.

Ibidem.

Eximit, aut reficit dentem Caſcellius ægrum.

Cornelius Celſus lib. VI. cap. XV. de cancro oris: *Si do-*

Si dolor in gingivis eſt, moventurq́; aliqui dentes, reſici eos oportet: nam curationes vehementer impediunt. Ita omninò legendum, non *reſigi*. Idem lib. VII. cap. XII. *Si ex iЂu, vel alio caſu, aliqui labant dentes, auro cum his qui benè hærent vinciendi ſunt.*

EPIGR. LVIII.

Anxuris æquores placidos, Frontine, receſſus. &c. Scripſit fortè Martialis *Fauſtine.* de cujus villâ Tarracinenſi ſuprà.

Ibidem.

Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ.

Hui! cicadæ inhumanæ, mecum olim dæmonium illud hominis Scaliger expoſtulabat. cui hoc, inquiebat, qui cicadas noverit, perſuadebitur? Lege, *inhumano*. Hæc ille. de cujus conſilio ita interpolavimus. Fortaſſis temerè. Nam quid opus eſt, Cancrum inhumanum dici? Inhumanas, puto, cicadas vocat, quòd obſtreperent, & ſtridore ſuo moleſtæ eſſent: ut quæ etiam importunæ atque inurbanæ dici queant. Ecloga vetus in Catalectis ad Calpurnium Piſonem:

Sic & Aëdoniâ ſuperantur voce cicadæ,
Stridula cùm rapido faciunt convicia ſoli.

Quòd autem hac regione ſolſtitio æſtivo mutum ſit hoc inſecti genus, aliàs vocaliſſimũ, legetur opportunè diligentiſſimi Raderi Commentarius.

Ibidem.

Hic mihi quando dies meus eſt, jactamur in alto
Vrbis, & in ſterili vita labore perit.
Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri.

Impeditus locus. Qui an hoc modo evolvi poſſit, vide:

Hic mihi, quando dies meus, & jactamur in alto
Vrbis, ut in ſterili vita labore perit!
Dura ſuburbani dum jugera paſcimus agri.

Quando dies meus venit, ut Romæ officium faciam

in togâ, & relictâ amœniſſimâ villâ Anxuris, oportet me jactari in pelago Vrbis, tunc omnis mihi vita in ſterili labore perit: Romæ quidem, in officio togæ; in ſuburbano meo, in colendo fundo. qui cũ paſcere deberet, potiùs paſcendus eſt. Infra inter alias cauſſas, quare relictâ Româ Bilbilim ſuam & Celtiberiam proficiſci in animum inducat, ait:

Paſcitur hîc, ibi paſcit ager: tepet igne maligno
Hîc focus: ingenti lumine lucet ibi.

Et ibidem, *I, cole nunc reges:* &c. Scaliger hunc locum ita interpungendum cenſebat:

Hîc mihi, quando dies meus eſt, jactamur in alto
Vrbis &c., in ſterili vita labore perit,
Dura ſuburbani dum iugera paſcimus agri.

Sed illud *Vrbis &c.*, paullò durius eſt, quàm ut phraſis Poëtæ noſtri admittat. Sanè tam duriuſculus alibi non eſt Martialis. Laborantem locum ab interpunctione pariter & malâ ſcripturâ, exiſtimo me leviculâ mutatione præclarè vindicaſſe. Non ſolùm diſtinctiones turbavit, verùm etiam verba corrupit librarius, & duplici modo obſcuritatem tribus illis verſiculis induxit.

Ibidem.

Quando dies meus eſt.

Togati per certos dies officium faciebant, ut apparet, diviti: & in orbem redibat numerus.

Ibidem.

---- *iactamur in alto Vrbis* ----

Altum eſt pelagus. Mare urbis cur dixerit de negotioſâ urbe, nemini eſt obſcurum: ne fortè cuipiam Domitij interpretatio imponat, qui colles Romæ & Ianiculum ſomniat. Aut Radero aurem præſtet, ſextam Regionem Vrbis Altam ſemitam, & montem Qurinalem interpretanti.

EPIGR.

EPIGR. LXI.

Crimine quam fati ſexta peregit hyems.

Rectè, *quam*. Eſt enim Erotion puella. Vitioſè Palatinus, & Scripti mei infimæ vetuſtatis, *quem*.

Ibidem.

---- *Solus Flebilis in terrâ ſit lapis iſte tuâ.*

Idem prorſus lib. VI. Epigr. XXVIII.

Qui ſies talia, nil fleas viator.

EPIGR. LXII.

Cirrata loris horridis Scythæ pellis.

Ita tres Scripti Gruteriani, & mei duo, itemque Editio princeps. Aldinæ, & cæteræ omnes: *Scuticaque loris.* quod præſtantiſſimus Gruterus, eò unde infauſtum pedem attulerat, redire juſſit. Scaliger in uno exemplari ad oram coniecit: *Scutica atque loris:* in altero ex V. annotavit, *Cirrata.* Quod ſequitur, *Scytha pellis*, non intelligo. Magnum mendum ſubeſt. Quomodo pellis, ſi cirrata loris? Nam & lora ipſa pelles. quippe μάστιξ, de quâ hîc intelligendum, erat ſcytale, non pellis cirrata loris. Corycea verò maſtix lora oſſiculis diſtincta habebat, quæ crudeliſſima verbera infligebant. Audebimusne tentare?

Cirrata loris horridi Scythæ pellis.

Vt cirrata pellis μάστιξ ſit. & τὸ *loris* referatur ad horridum Scytham. An potiùs ſcribendum,

Irata loris, horridis S. p.

Apud Scytharum gentem pelles magno & quotidiano in uſu. Veſtes ex ijs ſuas & lora conficiebant, quibus ſervos caſtigabant. Quod Herodotus lib. IV. & Iuſtinus II. narrant.

EPIGR. LXIII.

Marmora parva quidem, ſed non ceſſura, Viator,
Mauſolei ſaxis Pyramidûmque leges.

Rei convenientius, & auribus meis ſuavius: *legis.*

Ibidem

Ibidem.

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento.

Non video, quid opus hîc ſit ferrô Critico. Apage, apageſis *vitta* ſummi in literis viri. Defendam hunc locum aliàs, & fusè, ſi volet Deus, exponam. Nunc ſcire debes, vulgatæ lectioni omnes Codices ſuffragari; & Scriptos præterea conſtanter repræſentare *Tarento*, non *Terento:* Vti etiam lib. I. Epigr. LXIX. & lib. IV. Epigr. I. (monente ad eum locum etiam Grutero:)

Et quæ Romuleus ſacra Tarentus habet.

EPIGR. LXIV.

Contigeris regina meos ſi Polla libellos.

Malui conſenſum plurimorum Codicum, quàm unius Palatini fidem ſequi: qui habet:

Contigeris Regina meos ſi fortè libellos.

Quomodo edidit Gruterus. *Regina* κατ' ἐξοχὴν, ut Horatio *Regina Calliope.* Vt *regia filia* Apuleio *regis filia*, Mileſiarum VI. *Si quis à fugâ retrahere, vel occultam demonſtrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Pſychen.* Polyænus impurus ille apud Petronium: *Quæſo, inquam Regina, noli ſugillare miſerias meas: veneficio tactus ſum.* In Notis veteribus: *De munere filiæ Regis lucus eſt iſte.* Item: *De hac petrâ intus munera Regis habes.* Hæc omnia, ut diximus, κατ' ἐξοχὴν dicta.

EPIGR. LXV.

Quare deſine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem ſororem.

Fratris & *Sororis* honeſtiſſima vocabula, turpicula reddiderunt quidam molles & effœminati, quibus nequitias ſuas obvelarent, & nefandæ conſuetudinis ſuſpicionem amolirentur. Arbiter: *Habes tu quidem fratrem: ſed quid prohibet & ſororem adoptare?* Item: *Sic dividere cum fratre nolito.* Et toto Satyrico.

Mar-

Martialis lib. II. Epigr. IV. de Ammiano neſcio quo, inceſti cum matre concubitus ſuſpecto:

Fratrem te vocat, & ſoror vocatur.

Et lib. XII. Epigr. XX.

Quare non habeat Fabulla, quaeris,
Vxorem Themiſon? habet ſororem.

Fucus etiam hic & impoſtura apud Arabes, pervulgatumque proverbium: *Fortaſſis frater tuus eſt, at quem non peperit mater tua.* Cujus cauſſam aperit Anonymus quidam Arabs apud Thomam Erpenium, Orientalium linguarum peritiſſimum, & Bataviæ noſtræ phœnicem, præconio omni majorem, Proverbiorum Arabicorum Centur. II. Proverb. LXXXII. Tibullus lib. III. Eleg. I.

Hac tibi vir quondam, nunc frater, mitto Neæra.

EPIGR. LXX.

Pertulit Auſonia dona ſevera toga.

Optimus Codex Excerptorum: *munera ſera toga.* Alius Scriptus, pro *Pertulit*, habet *Attulit.*

Ibidem.

------ *Poſſem niſi munus amare,*
Marce, tuum; poteram nomen amare meum.

Eodem lepôre ſtatim Epigr. LXXXIX.

Iunonem Polyclete ſuam niſi frater amaret,
Iunonem poterat frater amare tuam.

EPIGR. LXXX.

-------- *--Sed lumine ſicco*
Pars maior lachrymas ridet, & intus habet.

Tollam obiter impedimenta, quæ nuper doctiſſimum amicum noſtrum tranſverſum egerunt. cùm dicit legendum:

Pars maior lachrymas, ridet, & intus habet.

Hoc ſenſu: Pars major ridet, & lachrymas intus habet. Fruſtra. Mollior eſt Martialis, quàm ut durâ hac verborum tranſpoſitione eum uſum credam. Imo,

Imò, inquit, pars major lachrymas ridet; non movetur, vultumque mutat: tamen intus lachrymæ hærent, & premit (quod ait deus poëtarum) altum corde dolorem. quem ſerena fronte ſtrenuè diſſimulat, ac quaſi contemnit. Obſervavi aliquot locis hanc φράσιν. Lib. IV, Epigr. III.

Indulget tamen ille Iovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas.

Et ejuſdem libri Epigr. XIX. de endromide:

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.

Itemque ſuperiùs hoc libro, de Formiano Apollinaris:

Si quando Nereus ſentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de ſuo menſa.

Quibus locis *ridere* pro *contemnere* dixit M. peculiari phraſi. Quare hîc elegantiſſimi ingenij viro minimè auſcultandum.

EPIGR. LXXXII.

Mâne, vel â mediâ nocte togatus ero.

Non invenuſtè hercules Membranæ: *togatus eo.*

Ibidem.

Per gemitus noſtros, ingenuaſque cruces.

Eadem Excerpta, & alius Codex ſcriptus: *continuasq́ cruces.* Sed *cruces ingenuas*, interpreter veros dolores.

EPIGR. LXXXIII.

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitida, Marine, calva
Campum temporibus tegis comatis.

Ita conſenſu Libri. Sed Scaligero placet *tergoribus*, ita in duobus exemplaribus emendanti. Et quadam ad me Epiſtolâ, Abſurditas (inquit) vulgatæ lectionis nondum animadverſa. Tempora, ſunt κρόταφοι. Quomodo κρόταφοι poſſunt tegere calvam?

vam? Scribe, *tergoribus*. Hæc ille. Ego, qui meus ſtupor eſt, non video hîc ullis pellibus aut tergoribus opus eſſe. Sequentia reclamant:

Sed moti (ſcilicet capilli) *redeunt, iubente vento,*
Redduntur& ſibi, caput& nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.

Quemadmodũ hîc Marinum calvum deſcendentibus ab aure capillis comatum ridet, ſic lib. v. Epigr. XLIX. Labienum urbaniſſimo joco excepit:

Vidiſſem modò forte cùm ſedentem
Solum te, Labiene: tres putavi.
Calva me numerus tua fefellit.
Sunt illinc tibi, ſunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poſſint.
Nudum eſt in medio caput, nec ullus
In longâ pilus areâ notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cùm prandia miſit Imperator,
Cum panariolis tribus rediſti.
Talem Geryonem fuiſſe credo:
Vites, cenſeo, porticum Philippi;
Si te viderit Hercules, periſti.

Cincinnatum denotat, quales Theleſphorus, Spendophorus, & Hermeros, formoſi pueri. Puto itaque Marini calvam à Martiali ſatis ſuperque traductam, ut neceſſum non ſit pelles imponi, quibus vellicetur miſer.

Ibidem.

Inter Splendophorum, Theleſphorum&.

Superiori libro ad Epigr. LVI. monui legendum, *Spendophorum*: & ſic disertè hoc loco perſcriptum in vetuſtis membranis repperi.

Ibidem.

Cida ſtare putabis Hermerotem.

Incaſsùm huic loco manum admovet doctiſſimus Heraldus, & tentat legere: *Sic adſtare.* Cicero in quin-

quinta Antonianarum : *Cydam Cretenſem portentum inſulæ, hominem audaciſſimum & perditiſſimum* (ſcilicet judicem legit Antonius.) *Sed fac ita non eſſe, num Latinè ſcit? num ex judicum genere & formâ? num leges noſtras moréſve novit? num denique homines? Eſt enim Creta vobis notior, quàm Roma Cydæ.* Hujus & Philippicâ VIII meminit. Livius quoque Cydæ Cretenſis ex intimis Eumenis meminit lib. XLIV. Hiſtoriæ ab V.C. Sed celebris ille antiquitatum vindex Vrſinus Fulvius in Notis ad Tullij illum locum, ex argenteo numiſmate M. Antonij, Cretæ, ut ait, cuſo, hanc Inſcriptionem profert :

ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ ΚΡΗΤΑΙΕΩΝ.

Quam Cydæ Cretenſium principis memoriam refricat etiam nobis Biæus Tab. VI. Græcorum Numiſmatum Goltzianorum. Vbi inter Cydæorum numiſmata unum pulcherrimum, præferens una facie anguem inſilientem cantharo, an capſulæ? corolla hederacea in ambitu: Facie altera exhibẽs duos angues implexos & utrinſecus erectos, ſuſtinentes in meditullio Iovem (ut videtur) tenentem dextra fulmen, & ſiniſtra aquilam: ſuperpoſita capiti hac inſcriptione: ΚΥΔΑΣ, & infra ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. Ibidem nummus alius, qui ab unâ parte ſolam aquilam oſtentat, cum inſcriptione ΚΥΔΑΣ. Hujus Cydæ non ſatis ſcio an puer fuerit Hermeros, an ſtatua. Cicero Epiſt. ad Atticum : *Signa noſtra & Hermerotas.* Plinio referente, *Hermerotes artificioſum & nobile ſignum Tauriſci Tralliani opus*, Romæ in Octaviæ porticu ſpectari ſolitum, Lib. XXXVI. cap. V. Statius Papinius Cydæ meminit, ſed alterius ut videtur, Sylvar. lib. V. Epicedio in Patrem:

Et quibus Arcadia carmen teſtudine menſis
Cyda labor memenq; fuit.

Quem locum cave mutes cum illuſtri manu: *Oda labor.* De hoc Cyda appoſitè Suidas : Κύδας ὁ Α'ρκάς.

Ἀρκὰς ἐκ πόλεως Καφύης ἦν. ὃς Κύδας ἐκαλεῖτο καὶ Ἀλύτης. *Cydas Arcas urbe Caphyâ. qui Cydas etiam Alytes dicebatur.* De quo loco Statij aliàs videbimus. De Cyda enim artifice, nugatorium. Nam non *Cydas* Plinio, ſed *Cydon* ſtatuarius celebratur. *Hermeros* nomen proprium, infinitis locis in volumine Inſcriptionum Veterum occurrit.

EPIGR. LXXXVI.

Sed qui primus erat luſor, dum floruit atas.
Membranæ conſtanter: *S. q primus erat luſus.*

EPIGR. LXXXVII.

Infamata virumpuella vicit.
Vide, quantùm abit Codex quidam membranaceus: *Inparata virum.* An fuit? *Impacata.*

EPIGR. LXXXVIII.

Omnes perſequeris Pratorum, Cotta, locellos:
Accipis & ceras. officioſus homo es.
Officium Prætoris dicitur tàm aſſeſſores, quàm locus ubi aſſidebant. Locelli, armariola in quibus lites & acta reponebantur. Cottam leguleium & formularium ait omnia armaria & loculos Prætoriani Officij, item tabellas & pugillaria excutere, ſi poſſit aliquam liticulam nanciſci. Ideo feſtivè *officioſum* vocat, ab Officio Prætoris. Nam perperam Domitius Cottam furem interpretatur, eumque ſecuti alij.

EPIGR. LXXXIX.

Iuno labor Polyclete tuus, & gloria ſalis.
Si mei arbitrij res ſit, ſcribam:
Iuno labor Polyclete tuus, tua gloria cali.
Aut *ſalis* etiam poteſt retineri. Sic alibi:

Alcid-

Alciden modò Vindicis rogabam,
Eſſet cujus opus laboráq; felix.

EPIGR. XCII.

Quas tinxit agni ſæpè ſanguis, aut hoedi.

Revocavi priſtinam & contemtatam innumeris Codicibus lectionem. Quamquam illud Palatini codicis *pinxit*, in duobus etiam meis repererim. Si novum eſſet *tingere* aras, cultros, ſanguine, reciperem lectionem *pinxit*. Sed quia illud novum eſt, & longè deterius, non admittam.

EPIGR. XCIII.

Carmina purpureâ ſed modò ſuta togâ.

Non probo carmina ſuta togâ: niſi placeat homo ſutus togâ. Quis hoc patiatur? Recipio Anglicanam ſcripturam, appoſitam oræ libri Iuniani, & optimis membranis meis firmatam:

Purpureâ ſed modò culta togâ.

Et quis melius, ut vetuſtiſſimos Codices ſcriptos taceam, confirmaverit hanc lectionem, quàm Poeta ipſe de eadem re loquens? Lib. XI. Epigr. I.

Quò tu, quò, Liber otioſe, tendis,
Cultus Sidone non quotidiana?

Eadem verba, eadem ſententia, eadem res. Nam ſic ibi, & non *ſindone*, legendum infra oſtendemus.

Ibidem.

Vt roſa delectat metitur quæ pollice primo:
Sic nova, nec mento ſordida charta iuvat.

Mentum, pro barba. Vt apud Græcos quoque τὸ γένειον, non ſolummodò mentum, ſed etiam eſt barba. Martialis lib. I. Epigr. LXVI.

Cuſtodit ipſe virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento.

p ab eodem in Apophoretis barbatos libros dicit Exam eſt, Epigr. LXXXII. Ita etiam veteres Græci locuti ſunt. In II. lib. Anthologiæ, Capite εἰς Γραμματικούς, & Epigr. X.

Γραμματικὸς Ζηνών, ὃς ἔχει πώγωνα Μένανδρον. Quem verſum cùm non intelligerem, nec à quoquam facilè intelligi arbitrarer, Apollinem meum conſului, illuſtrem Scaligerum. à quo emendandum didici:

Γραμματικοῦ Ζήνωνος ἔχει πώγωνα Μένανδρος. Codicem Menandri ait tam aſſiduo uſu tritum à Zenone Grammatico, ut barbam ediderit. Barbatæ enim & villoſæ chartæ fiunt aſſiduò tritæ.

EPIGR. XCIX.

Si Romana forent hac Socratis ora, fuiſſent
Iulius in Satyris qualia Rufus habet.

Satyri nomen loci, ut *Æmiliani* apud Varronem. (*Vicum Æmilianum* nominat Regione Vrbis VII. Sextus Rufus.) Si pictura Socratis, inquit, habitu Romano expreſſa eſſet, poterat haberi pro effigie Iulij Rufi; adeo illi ſimilis eſt. Satyri autem erant quatuor. Pub. Victor & Sext. Rufus de Regionibus Romæ, Regione VIII. quæ eſt Forum Romanum: *Equa cernens quatuor Satyros.* Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Multa in eadem ſcholâ* (Octaviæ porticu) *ſine auctoribus placent. Satyri quatuor, ex quibus unus Liberum patrem, pallâ velatus humeris perfert: alter Liberum ſimiliter: tertius ploratum infantis cohibet: quartus cratere alterius ſitim ſedat: duaq; Aura velificantes ſuâ veſte.* Hinc Onuphrius Panuinius in Regione Circi Flaminij, quæ Vrbis IX eſt: *Quatuor Satyri & dua Nympha.* In eâ igitur regione erat pictura Iulij Rufi, cuius Plinius iunior meminit in Epiſtolis. Sed Plinius maior lib. XXXV. cap. XI. Socratis pictoris eximij meminit, & lib. XXXVI. cap. V. Socratis in marmore ſcalpendo excellentis. cujus Charites in propylæo Athenienſium mirâ marmoris radiatione. Hinc fortaſsè nova hujus diſtichi explicatio poterit exſculpi. Cogitate. & Raderi etiam Commentarium adhibitote Curis ſecundis auctiorem. Clariſſimus & immortalitate digniſſimus Iſaacus

Caſaubonus libro de Romanâ Satirâ, Iulium Rufum indice hoc Epigrammate Satirarum poëtam fuiſſe exiſtimat, & gravitatem ejus in Satiris hic commendari. In quo mirè hallucinatur.

EPIGR. CIII.

Municipes Auguſta mei quos Bilbilis Agri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis.

Ita ſcripſi maiuſculâ A illud vulgg. *agri*, lubente, imò iubente viro magno. cui obtemperandũ fuit. vt *Agrum*, vel *Agrium* montem intelligamus vocatum fuiſſe eum cuius ſupercilio Bilbilis impoſita erat. *Agri monte*, ut *Vrbem Tatavij* Virgilio, *herba lapathi* Horatio. Sic quendam montem *Tagrum* in Luſitaniâ Varro ponit lib. II. Rer. Ruſtic. cap. I. quem Columella lib. VI, cap. XXVIII. corruptè *Sacrum* videtur vocare. Quod autem quidam libri pro *Auguſta* retinent *anguſta*, non mirũ. Commutantur invicê *anguſta, auguſta*, in Codicibus manu ſcriptis. Scripſeram ad eundem Heroem, eſſe qui hîc *anguſta* non *auguſta* legeret. Reſpondit: Si quis *anguſtam* malit, per me quidem faciat licet, modò ſciat *Agri* eſſe nomen montis. Nam ſi *agri* legas, neceſſariò dicendum erit aut *monte agri*, aut *anguſta agri*. Prius eſt abſurdiſſimum: Quid enim eſt mons agri? Alterum putidum eſt, καὶ κακόζηλον, & à Martialis nitore alienum. Præterea quem agrum habet urbs, quæ montis vertice conſtructa eſt? Hæc ille pro ſuâ emendatione. quam tamen receptam doleo: & factum omnino nolim. Deleatur, & reſcribatur *acri*. Quomodo doctiſſimis Hiſpanis Caſpari Varrerio, Antonio Auguſtino Ilerdenſi, Archiepiſcopo, & Hieronymo Suritæ. Cæſarauguſtano, conſtituendus hic locus videbatur. Optimè. *Bilbilis acri monte*: ut Papinius VII Thebaidos, ---- *Hyampolin acri Subnixam ſcopulo*. Quod in ora quarundam Editionum legitur *alto*, commentum eſt lectoris, aut librarij. Vera & genuina lectio eſt *acri*, non *agri*.

non

non *alto*. Nam *acer* pro ſcrupoſo uſurpat, quemadmodum Statius. Paulinus Nolanus in Epiſtola ad Auſonium vocat *Bilbilim acutis pendentem ſcopulis*. Recte itaque hoc illi. Sed de *Aquis* pro *Equis*, non dubium eſt eos errare, lib. I. Epigr. XLIX.

Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
Equis & armis nobilem.

Nam quomodo per *Aquas* fluviolus Salo intelligi poteſt, qui admodum tenui alveolo fluit? teſtante id ibidem ipſo Martiale, cùm *brevem Salonem* vocat. Et alibi: (libro, ni fallor, quarto:)

Savam Bilbilin optimam metallo,
Quam fluctu tenui, ſed inquieto,
Armorum Salo temperator ambit.

Et ſanè rivuli ſunt potiùs, quàm fluvij, quibus arma temperantur. Denique, *Equi* & *arma* meliùs coniunguntur, quàm *Aqua* & *arma*. Animadverſionum noſtrarum in Epigrammatum lib. I. diximus, ſi legendum eſſet *Aquis*, non *Equis*, videri nobis à thermis, quas Antonini Itinerarium *Bilbilitanas aquas* vocat, Mauritanico autem nomine hodie *Alhame* appellantur, *Bilbilim aquis nobilem* potuiſſe dici. Sed nihil mutandum. tùm, quia illæ Aquæ multum diſtant à veteri Bilbili; tùm, quia rectè coniungi hæc duo nemo negaverit, *Equis & armis*. Vide ad Epigr. XLIX. lib. I.

EPIGR. VLT.

Quid mandem tibi, quæris? ut ſodales
Paucos & veteres & ante brumas
Triginta mihi quattuorq; viſos.

Refinxerim, *Paucos, ſed veteres*. quod geniũ Martialis magis reſipit. Indolem mendi aliàs patefecimus.

Ibidem.

Seceſſus ſpatio paret ſalubri.

MSS. *Seceſſus pretio p. ſ.* Nec ullus aliter. Niſi quod

vetuſtiſſimus membranaceus, librarij culpâ: *praetio*. quod ipſi eſt *pretio*. Sic in eodem ſupra, ubi vulgo:

Venator captâ marte ſuperbus adeſt.

Ille, *maele*. quod cùm eſſet *mele*, imperitè factum eſt *marte*.

Ibidem.

Hac ſunt. iam tumidus vocat magiſter.

Cùm aliàs legeretur *timidus*, illicò ſcribendum hariolabar *timidos*. Quod poſtea in duobus MSS. inveni; & ſequentia omnino requirunt: Nam inquit,

------ *aura portum Laxavit melior.* ----

Navarchus meticuloſorum ac tergiverſantium vectorum moras caſtigat, & bono animo eſſe iubet, iam enim flante proſpero vento naves plurimas è portu ſolviſſe.

P. SCRI-

P. SCRIVERII
ANIMADVERSIONES
IN
Martialis
LIB. XI.

EPIGR. I.

Q*Vo tu, quò Liber otioſe tendis,*
Cultus ſindone non quotidianâ?
Sindon velum ſubtiliſſimum eſt ex lino candido. Vnde quis, quæſo, ſplendor conciliabitur novo libro? Decentius involucrum erit, ſi ex purpurâ fiat. Qualem amiĉtum plerumque habebant muſtei & recentes libri, paullò ſplendidiùs culti. Feſtâ utiq; veſte, & non quotidianâ ſpeĉtandi. Martialis de libro ſuo tertio: Epigr. II.

Piĉtus luxurieris umbilicis,
Et te purpura delicata velet.

Lib. VIII. Epigr. LXXII. ad librum ſuum:

Nondum murice cultus, aſperoq́;
Morſu pumicis aridi politus.

Item lib. x. Epigr. XCIII. quod proximè excuſſimus:

[illegible]

[illegible] cum de ſibris ei ſermo eſt, [illegible] Quare non dubi- [illegible]

[illegible]

[illegible] ad Epigr. [illegible] per omnes codices [illegible]

[illegible]

[illegible] Tertiò ſimili- [illegible] apud no- [illegible] pura de endromi- [illegible] ſufficeat. Erat [illegible] vulgaris & [illegible] ex membra- [illegible] Quia at proceres mit- [illegible] elegantius Se- [illegible] contegeban- [illegible] cùm *purpuram* [illegible]. Ovidius [illegible] cultum à purpurâ, [illegible] delegit. Triſt. 1. E- [illegible]

[illegible] &c.

[illegible]

[illegible]

[illegible] partim *vi-* [illegible] Gruteri [illegible]

[illegible]

[illegible] & meliùs eſt vul- [illegible]

[illegible]

[illegible] &c.

[illegible] ſuo corpo- [illegible] imus. Et [illegible]

EPIGR.

EPIGR. V.

Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui.
Quamquam Scaliger in Græcis ſuis Epigramma ad ſeptem uſque diſticha continuarit, vix aliter tamen induci poſſum, quàm ut credam, duo hîc Epigrammata eſſe: & quidem prius eſſe tetraſtichon. Sequentia ſuum quoque Epigramma conſtituunt. Quemadmodum curavimus exprimendum

EPIGR. VI.

Si redeant veteres, ingentia nomina, patres.
Novum Epigramma. Sed nihil præterea in hoc carmine innovandum. Quid Palatinum aliosve Codices ſequimur, renitente ipſo Martiale? τὸ *patres* non mutandum in *partes*, quod viro docto videbatur.

EPIGR. IX.

Laſſa quod heſterni ſpirant opobalſama drauci.
Antea hic legebatur, *Laſſa quod externi.* quod cùm nonnemini ſenſu inextricabili putaretur; hanc mihi Notam magnus Scaliger dictavit. EXTERNI] Inde Propertius *peregrinos odores* dicit, & Plautus *unguenta exotica.* Quare hoc modo τὸ *externi* retineri poſſit. Magis tamen placet lectio optimi Codicis, *heſterni*. Significat eum qui nocte præterita ἐκώμαϛε. Quo nihil verius. Ita intelligit ἕωλα unguenta, heſterna. Et τὸ *laſſa* hoc ſatis prodit. Hactenus meus Doctor, & literatorum omnium Dictator.

Ibidem.

Vltima quod curvo quæ cadit aura croco.
Ita præclarè ex Palatino Gruterus: adſtipulante uno atque altero meorum de nota meliore. Ne-

Carmina purpureâ ſed modò culta togâ.

Aliàs etiam plus ſemel, cùm de libris ei ſermo eſt, muricis purpuræve fit mentio. Quare non dubitem hic reſcribere:

Cultus Sidone non quotidianâ.

Cujus emendationis noſtræ meminimus ad Epigr. xvi. lib. ii. Vbi idem mendum per omnes codices diſſeminatum. Hoc verſu:

Quid torus à Nilo? quid ſindone tinctus olenti?

